PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXVI ~~/ FASC. I-II~~
~~15 Iun. /~~ 1947

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1947



FASCICULI INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

II - Monumenta

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXVI / FASC. I-II
15 Iun. / 1947

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1947

IMPRIMI POTEST

Romae, 17 Jun. 1947.

PAULUS DEZZA
Rector Universitatis.

IMPRIMATUR

E Vicariatu Urbis, die 21 Jun. 1947.

† A. TRAGLIA
Archiep. Caesarien., Vic. Ger.

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE IMPOTENTIA VIRI IUXTA IURISPRUDENTIAM ROTALEM

Saepe S. R. Rota in suis sententiis enuntiaverat veluti principium certum in iure necesse esse ad copulam perfectam ut semen verum intra vaginam mulieris effundatur [1]. Hinc est quod data occasione expresse asserat ad potentiam in viro requiri ut sint pervii canaliculi deferentes per quos semen a testiculis elaboratum ad extra eiaculetur [2]; vir enim incapax peragendi copulam per se aptam ad prolis generationem nullo modo potest dici potens.

Recentius vero eadem S. R. Rota fuse de tota hac re egit; debebat enim sententiam definitivam proferre circa validitatem matrimonii contracti a viro qui, ut ex actis abunde constabat, antecedenti atque perpetua incapacitate *emittendi* verum semen laborabat; haec autem incapacitas erat unicum motivum adductum ad declarationem invaliditatis matrimonii petendam.

Momentum vero sententiae in tertia instantia pronuntiandae stabat in eo quod prima vice tribunal dioecesanum admittens factum incapacitatis viri ad emittendum verum semen, declaravit tamen non constare de nullitate matrimonii, quia ob graves rationes contrarias iudices non

---

1 Cfr. elenchum causarum in Period. XXXIII, 216.

2 Cfr. S. R. Rotae Decisiones, XV, 105, 117; XVIII, 59; XIX, 364; XXI, 479; XXII, 340; XXIII, 132; XXVII, 440.

censebant esse certum principium in iurisprudentia Rotali ut tale constanter admissum. Hae rationes fuse et magna vi exponebantur in sententia tribunalis primae instantiae.

S. R. Rota, in definitiva sententia proferenda, non modo certitudinem principii constanter enuntiati copiose defendit, ut par erat, sed etiam magno vigore confutavit graves rationes contrarias in prima sententia expositas. Id autem prorsus necessarium erat, cum matrimonium debito modo contractum gaudeat favore iuris et consequenter nequeat declarari nullum stante dubio iuris (c. 1014); ad hoc autem dubium saltem probabile faciendum tota argumentatio in sententia tribunalis primae instantiae proposita tendebat.

Operae pretium videtur has rationes hinc inde adductas summatim perstringere ut in re tanti momenti, quae non raro nostra aetate occurrere potest, quid tenendum sit clare appareat. In tractatione vero huius argumenti exponentur rationes in prima sententia contra impotentiam viri in casu proposito adductae una cum responsione in sententia Rotali data; oblata vero occasione subiungentur quae, nostro iudicio, impotentiam viri in casu de quo agitur plane confirmare videntur.

Cardo circa quem tota quaestio vertitur est interpretatio danda verbis in c. 1081 § 2 contentis, sc. « consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem ». Hisce verbis describitur obiectum contractus matrimonialis, quod si desit matrimonium erit indubitanter dicendum nullum. Ast quid requiritur in viro ut possit ponere actum per se aptum ad prolis generationem? Omnes, ut dicitur in sententia tribunalis primae instantiae, asserunt ad matrimonii valorem necessariam esse potentiam coeundi, i. e. capacitatem copulae de se aptae ad prolis generationem. « Ast ad id quidam existimant requiri capacitatem et pe-

netrandi veretro erecto mulieris vaginam et in ea deponendi verum semen, i. e. semen spermaticum; alii e contra asserunt verum semen illud esse quod a testiculis conficitur, licet aspermaticum sit; atque tandem alii, inter recentiores praesertim, putant satis esse si vir organa copulationis habeat, testiculos nempe et penem, atque valeat vaginam penetrare et in ea seminare, licet ob aliquod vitium nequeat verum semen in testiculis elaboratum intra vaginam effundere ».

Primam sententiam tenet Alberti (De sexto et nono Decalogi praecepto, p. 3) eamque secuta est S. R. Rota coram Cattani d. 8. ian. 1913, eo quod semen spematozoidorum expers verum semen dici nequit. Idem esset dicendum de semine quod spermatozoida fortasse habeat, quae tamen nec viventia sunt nec, ut dicunt, vivacia. Egregie confutatur in eadem sententia haec opinio circa necessitatem seminis spermatici ad copulam perfectam habendam; fiunt tamen ibidem veluti obiter quaedam asserta ad quae dein nostra erit convertenda attentio; sufficiat nunc indicasse quaestionem de azoospermia non esse hic tractandam, ut infra exponetur. Contra doctrinam vero in altera sententia contentam plurima congeruntur argumenta, ut tandem fuse exponatur tertia opinio cui aperte adhaerent iudices tribunalis primae instantiae.

Admittunt isti distinctionem inter actionem humanam et actionem naturae. Sic enim loquuntur: « At vero nonnulli auctores post Card. Gasparri in generatione duplicem actionem distinguunt, actionem sc. humanam et actionem naturae; atque asserunt congruum esse ut matrimonium, cum sit contractus humanus, ordinetur seu ordinatum sit ab eiusdem auctore tanquam ad suum obiectum non ad actionem naturae, cuius efficacia hominis causalitatem effugit ipsumque haud raro prorsus latet, sed ad actionem humanam, quae de se et secundum communem speciem actus ad generationem idonea sit. ... Iam vero haud intellegitur cur ex parte viri praeter capacitatem penetrandi

atque habendi copulam perfectam seu plene satiativam appetitus sexualis requiratur quoque emissio veri seminis a testiculis elaborati. Siquidem huiusmodi emissio haud pertinet ad actionem humanam sed potius ad actionem naturae; i. e. in ipsa copula ex parte viri duo distingui debent, actio humana et actio naturae; illa consistit in penetratione membri virilis in vaginam usque ad plene satiativam appetitus venerei satisfactionem cum conexa effusione seminis si quid sit, haec in elaboratione nemaspermatum atque effectiva eorum effusione per vias spermaticas atque tandem per veretrum. Hoc enim minime est voluntati obnoxium, non est necessario conexum cum hominis actione, quippe quod ad ipsam non requiratur neque tale est quod possit semper ab homine cognosci ».

Ante omnia iure animadvertitur in sententia Rotali copulam plene satiativam appetitus sexualis non esse dicendam eo ipso copulam perfectam; debet hac in re omnino retineri quod habetur in c. 1081 § 2 de illo actu, sc. quod sit de se aptus ad prolis generationem; finis enim primarius matrimonii, cui essentialiter subordinantur alii fines, est procreatio et educatio prolis [3]; consequenter medium naturale quod hunc scopum persequitur, debet necessario continere illa omnia elementa, quae ex parte actionis hominis requiruntur; videtur minus exigi non posse.

Doctrina supra relata accurate et plene exponitur in sententia Rotali d. 25 apr. 1941. « Abstrahendo ab opere ipsius Dei, qui solus creat et infundit animam spiritualem, ad producendam novam vitam requiritur tum opus hominis seu perfectus coitus naturalis, tum opus naturae seu complexus causarum et actuum, quae respectu novae vitae producendae, in homine a natura habentur et peraguntur; opus naturae partim antecedit, partim concomitantur, partim subsequitur opus hominis. Potentia coeundi exigit ut homo ad coitum afferre valeat, id quod

[3] Cfr. Decret. S. C. S. Offic. 1 apr. 1944, AAS. XXXVI, 103.

natura ei ad coitum imposuit afferendum. Imposuit autem natura utrique sexui afferendum id quod ad originem novae vitae requiritur, in quantum haec origo praecise pendet ab activitate coeundi. Hoc principium fundamentale eodem omnino modo valet pro viro ac pro muliere; sed natura in activitate coeundi non idem imposuit praestandum viro atque mulieri. Ut enim coitus omnia exhibeat quae ex parte coitus ad novam vitam requiruntur, ovaria mulieris nullo modo concurrere debent; at concurrere debent testiculi viri. Si testiculi concurrere omnino non valent, impossibile est virum ad activitatem coeundi conferre quae natura ei praestanda imposuit ut coitus sit aptus ad novam vitam — in quantum, prout dictum est, nova vita praecise pendet ab activitate coeundi —; vir enim ex dispositione naturae ad actum coeundi afferre debet semen per se aptum ad vitam producendam. Haec autem viri dispositio non respicit actum sed ipsum subiectum quod ponit hunc actum, et quidem non actualem sed habitualem dispositionem huius subiecti, eamque talem quae regulariter ordinariis mediis vitae humanae detegi et dignosci potest, licet in extraordinariis circumstantiis specialis scientia et peritia requirantur »[4].

Ex his patet eandem doctrinam doceri quoad hoc punctum in utraque sententia; sed applicatio huius doctrinae non videtur procedere eodem modo. Iudices enim primae instantiae contenti esse videntur duobus primis elementis antea descriptis, i. e. capacitate penetrandi vaginam et habendi copulam plene satiativam appetitus sexualis, quin ulterius quaerant an haec actio humana eo modo peragatur quo actio naturae concomitans sequi possit vel contra.

Fortasse iuvabit in his rationibus perpendendis nonnihil immorari, cum eae directe tangere videantur argumentationem propositam ab illis qui ad consummationem

---

[4] Cfr. Period. XXXIII, 208.

matrimonii requirunt effusionem veri seminis in testiculis elaborati. Omnino concedendum est *effectivam effusionem veri seminis* in testiculis elaborati esse actionem naturae concomitantem ipsam actionem humanam debito modo a viro positam; sed pari tempore inculcandum est ita debere poni hanc actionem humanam, ut organa copulationis viri naturaliter destinata ad functionem suam exercendam in actu coniugali eo operentur modo, saltem substantiali, quem natura ipsa exigit. Iam vero tota actio humana viri in copula peragenda illuc naturaliter tendit, sc. ut eiaculetur semen in testiculis elaboratum, si quid sit. Igitur si organa destinata ad concursum praestandum in ipsa copula sic disposita sunt ut nequeat actio concomitans naturae, i. e. eiaculatio seminis, ullo modo sequi, etsi semen in testiculis conficiatur, substantiali defectu laborare dicenda sunt; proinde haec organa, per quae peragitur actio humana viri, ponent actum per se ineptum ad prolis generationem. Si huiusmodi defectus cognoscibilis est extrinsecus, asseri poterit constare in casu de absentia obiecti contractus matrimonialis; possibilitas enim emittendi semen elaboratum in testiculis videtur pertinere ad ipsam essentiam actus coniugalis, qui ex parte viri ad hoc natura sua tendit per se et principaliter. Nec enim ad quodlibet liquidum emittendum destinat natura actionem humanam organorum copulationis viri, sed ad emittendum illud quod in testiculis elaboratur, ita ut cetera omnia veluti adminicula ad hunc finem attingendum considerari possint. Cum ergo efficaciter impeditur quominus hoc semen in testiculis elaboratum possit unquam in vaginam transfundi mulieris, privatur copula ex parte viri illa aptitudine tendendi plene ad finem per ipsam naturam actioni humanae praestitutum; ex quo sequitur actum positum a viro in his condicionibus, utpote carentem aliquo essentiali elemento, esse insufficientem ad obiectum contractus matrimonialis constituendum.

Ad rem nostram apprime possunt accommodari quae

Card. Sili de alio casu agens sapientissime scripsit: « Sunt opera quae ab ipsa natura ordinantur ad aliquem finem; quae proinde si deficiant ab hac ordinatione seu relatione, fiunt naturae inconvenientia atque adeo illicita. Si autem aliquod opus duplicem habeat finem sibi a natura inditum, alium primarium alium secundarium, dicta ordinatio respicit potissimum finem primarium; adeo ut si quid in opere hanc intrinsecam et essentialem relationem intercipiat, opus evadat naturae inconveniens seu contra legem naturae ... Relatio autem operis ad finem duplex est, alia essentialis, alia effectiva. Essentialis habetur cum opus nullo careat ex suis elementis essentialibus et alia ex parte nihil in se contineat quod finem primarium absolute impediat ... Si finis primarius non sit necessario consequendus, non est necessaria in opere relatio ad finem effectiva, sed requiritur et sufficit relatio essentialis; requiritur ut salva maneat operis essentia, ne scilicet opus fiat rectae rationi inconveniens; sufficit quia finis primarii assecutio non urget. Iam haec applicemus copulae coniugali. Copula coniugalis a natura et auctore naturae ordinatur primario ad prolis generationem, secundario ad sedationem concupiscentiae; oportet igitur ut in finem primarium aliquo modo dirigatur; secus esset et diceretur luxuria contra naturam ... Porro sunt vitia corporalia quae excludunt in copula dumtaxat relationem effectivam, quae nempe generationem absolute impediunt, quin tamen coitum laedant in suis essentialibus elementis, et vitia huius generis pertinent exclusive ad impotentiam generandi, ut v. g. absentia uteri vel ovariorum; et sunt vitia quae excludunt in copula ipsam relationem essentialem, quatenus generationem absolute impediunt, afficiendo ipsa organa copulationis; et vitia huius generis inducunt impotentiam coeundi, quia nempe coitum vitiant in sua essentia eumque reddunt naturae ordinationi contrarium » [5].

Auditores S. R. Rotae omnino discrepant a iudicibus

---

[5] Cfr. Analecta eccl. VIII (1900), 258.

primae instantiae in determinanda natura rei quae elaboratur in testiculis. Suntne solummodo nemaspermata vel habetur praeterea aliquid saltem liquidi? Primae sententiae adhaerent iudices primae instantiae, dum iudices Rotales negant prorsus certum esse scientifice testiculos non elaborare nisi nemaspermata, i. e. « exiguissima illa corpuscula, singula singillatim sumpta oculorum aciem fugientia et tantum ope microscopii sub aspectum cadentia ». Haec sententia confirmatur diversis testimoniis peritorum secundum quos certum est testiculos praeter nemaspermata producere etiam certam quandam seu primam quantitatem liquidi.

Re vera tangitur hic quaestio, quae a solis peritis rerum biologicarum solvi debet. Quidquid sit de hac re, semper aderit inter eum, qui canales deferentes penitus irreparabiliterque obstructos habet, et alium qui solum caret nemaspermatibus, haec differentia sc. quod hic postremus dici poterit semper capax peragendae copulae, quantum ex actione humana pendet, eodem prorsus modo quo peragitur copula fecunda; generatio in hoc casu deerit solum ob defectum actionis naturae antecedentis. Id autem nunquam affirmari poterit de copulatione peracta ab eo qui vasectomiam duplicem perfectam passus est. Neque dici potest frustra requiri semen quod necessario infecundum est; nam, ut recte animadvertitur in sententia Rotali, positio fautorum secundae sententiae multo simplicior et rationabilior est, sc. « Vir qui saltem alterutro testiculo et canalibus communicantibus perviis praeditus est — et vir supponitur praeditus esse hisce elementis donec contrarium probetur — censeri debet et est per se habilis ad effundendum verum semen, licet per accidens ob aliquem defectum in opere naturae spermia desint » Si carentia alicuius ex duobus primis elementis est certa et extrinsecus cognoscibilis, tunc praesumptio indicata cedit veritati. Ut antea dictum est, haec quaestio de azoospermia ad praesentem controversiam non spectat. Hic enim agitur so-

tum de aptitudine viri ad eiaculandam secretionem externam vel exocrinam testiculorum; si vir est capax huius secretionis producendae itemque eam eiaculandi potens est dicendus, qualiscumque sit natura et compositio liquidi eiaculati; vir autem praesumitur hac duplici aptitudine pollere donec contrarium probetur.

Auctores antiqui minime ignorabant existentiam secretionis externae vel exocrinae testiculorum eiusdemque emissionem requirebant ad copulam perfectam de facto habendam. Hinc est quod bene distinguerent hanc secretionem testiculorum ab humoribus provenientibus ab aliis glandulis apparatus sexualis viri, licet eos laterent tum natura seminis stricte dicti tum secretio endocrina testiculorum. Clare ergo ipsi videbant ad potentiam coeundi in viro non sufficere capacitatem penetrandi vaginam atque emittendi intra eam qualemcumque humorem, exclusa secretione externa testiculorum, sed omnino requirebant aptitudinem emittendi humorem in testiculis elaboratum. Si igitur eis propositus fuisset casus viri, cui deesset potentia emittendi liquidum quod in testiculis elaboratur, incunctanter illum declarassent impotentem, cum cooperationem testiculorum in àctu copulae veluti omnino necessariam haberent.

Defectus huius aptitudinis potest cognosci, ut patet ex cotidiana experientia, per diversas inquisitiones a peritis factas, quin sit ullo modo necessarium semen eiaculatum ope microscopii examinari. Haec actio est prorsus excludenda utpote illicita et inutilis. Haec inutilitas provenit ex eo quod examen seminis ope microscopii peractum, semper ac exitum negativum haberet, id solum demonstraret sc. virum ea vice non eiaculasse nemaspermata, minime vero eum ineptum esse et quidem modo permanenti ad illa sive conficienda sive saltem emittenda; id autem omnino requiritur ad impotentiam viri asserendam, etiamsi admittatur ut vera sententia quae tenet sola nemaspermata elaborari in testiculis.

Tam in sententia primae instantiae quam in aliis duabus subsequentibus sermo est de quadam responsione S. Officii data Ordinario dioecesis Aquisgranensis. Abs dubio agitur de quaestione quadam S. Officio ab episcopo Aquisgranensi d. 17 dec. 1934 proposita. Dubium, secundum textum quem ex epistola officiali Ordinariatus Aquisgranensis desumpsimus ita est propositum: « An vir qui subiit vasectomiam bilateralem, totalem et irreparabilem vel aliam operationem chirurgicam eiusdem effectus, qua scilicet omnis communicatio cum testiculis irreparabiliter ita intercluditur ut nulla sperma ex iis traduci et transferri naturali via possint, nihilominus ad matrimonium ineundum admitti tuto possit iuxta normam in § 2 can. 1068 statutam ». Clarius non potest proponi dubium iuris circa quaestionem nostram.

S. Officii responsum d. 16 febr. 1935, eo saltem tempore non publicandum, ita sonat: « In casu sic dictae sterilizationis iniqua lege impositae, matrimonium ad mentem p. 2 can. 1068 non esse impediendum ». In comperto est non dari ad dubium propositum responsionem directam, qua res hinc inde disceptata authentice dirimatur; datur solum norma servanda in casu sic dictae sterilizationis iniqua lege impositae. Admittitur utique dubium circa impedimentum impotentiae, sed non determinatur a quo fonte proveniat huiusmodi dubium; citatur simpliciter canon 1068 § 2, in quo dubium sive iuris sive facti memoratur. Non constat ergo utrum hoc responsum fundetur in assertione alicuius dubii iuris an in dubio facti an in utroque. Textus prout habetur et unam et aliam explicationem admittit. S. R. Rota supponit agi tantummodo de dubio facti, quamvis haec assertio ex tenore responsi demonstrari nequeat.

Sed multo minus demonstrari potest assertio facta a iudicibus primae instantiae, iuxta quos haec responsio saltem docet « matrimonium eorum qui vasectomiam duplicem passi sunt, quique proinde verum semen emittere ne-

queunt impediri non posse, quia dubia est eorum impotentia ob huiusmodi defectum, sive is sit temporarius sive forte perpetuus ». Id verum esset, si S. Officium ad dubium, prout propositum fuit, affirmativam responsionem dedisset, quod minime fecit; sed ad quaestionem alio modo ab ipso S. Officio propositam responsum dedit quod novimus. Si eius mens fuisset rem dirimere, prout contendunt iudices primae instantiae per simplex adverbium « affirmative » eam clarissime expressisset; id autem non fecit. Spectato ergo solo tenore responsi incertum manet an in dubio iuris vel potius in dubio facti hoc responsum S. Officii fundetur. Haec autem incertitudo, orta ex discrepantia inter dubium propositum et responsum a S. Officio datum, favere videtur sententiae a S. R. Rota propugnatae.

Summopere enim conveniens fuisset, si intendebatur rem dirimere prout iudices primae instantiae contendunt, ut responsio forma clara daretur ob notam S. R. Rotae hac in re iurisprudentiam, quae non admittit ullum dubium iuris circa impedimentum impotentiae in viro qui vasectomiam duplicem, totalem et irreparabilem passus fuerit. Secus enim, i. e. si sensus responsionis clare non exprimeretur, ita ut asseratur certo existentia dubii iuris in quaestione proposita, haud impediri poterit quominus matrimonium, quod posset celebrari secundum sententiam propugnatam a iudicibus primae instantiae ad normam responsionis datae a S. Officio, dein nullum declaretur a supremo Tribunali ecclesiastico, cum verisimiliter S. R. Rota non sit in posterum mutatura suum modum agendi absque declaratione indubia, publici iuris facta, competentis auctoritatis circa quaestionem iuris [6]; haec autem non habetur in responsione allegata. Hac vero ratione, i. e. si vera esset interpretatio propugnata a iudicibus pri-

---

[6] S. R. Rotam etiam nunc huius generis causas dirimere eodem modo ac antea patet ex recentissimis Decisionibus; cfr. Period. XXXIII, 200; XXV, 5; Torre, Processus matrimonialis, 310.

mae instantiae, Sedes Apostolica in quaestione, de qua nunc agitur, admitteret per unum Dicasterium exsistentiam dubii iuris eamque dein negaret indirecte per aliud, cum declaratio nullitatis matrimonii exigat certitudinem principii iuxta quod ea datur; hic autem diversus agendi modus, immo invicem oppositus, Dicasteriorum Sedis Apostolicae in una eademque quaestione nullo modo admitti potest. Nonne dicenda est multo rationabilior interpretatio, quae apprime cohaeret cum praxi, quam tenet in suis sententiis Tribunal Sedis Apostolicae?

Nonnullae sententiae Rotales, dicitur in sententia primae instantiae, expressis verbis hanc quaestionem controversam in iure vocant. In Decisionibus Rotalibus non dicitur esse quaestionem controversam an requiratur necne verum semen ad consummationem matrimonii; solummodo aliqua discrepantia notari potest in describenda natura veri seminis. Sic in Dec. III d. 8 ian. 1913, (V, 34) habentur sequentia: « Ex iis ergo sequitur quod non quodcumque semen a virga virili in vaginam mulieris depositum efficere possit copulam perfectam, sed tantum semen quod verum sit seu de sit capax generationem operandi, i. e. quod per se sit principium activum generationis; principium activum generatim est semen seu sperma virile continens spermatozoida. Eadem doctrina insinuari videtur alio loco, sc. in Dec. XXX d. 6 dec. 1921 (XIII, 280). His locis sane ad potentiam viri plus requiritur quam in plurimis aliis sententiis S. R. Rotae; sed de vera iurisprudentia non agitur. Ut enim de iurisprudentia Rotali loqui liceat necesse est saltem quandam seriem causarum in medium producere, in quibus eadem res modo uniformi dirimatur per sententiam dein exsecutioni mandatam. Unica vero Decisio, quae adducitur ut innixa doctrina supra descripta, infirmata est dein a S. R. Rota eodem anno (V, 663). Haec ergo haud sufficiunt ad asserendum S. R. Rotae hac in re iurisprudentiam non posse dici constantem. Doctrina enim contraria frequentissime exponitur a S. R. Rota

in plurimis sententiis, ut videre est in elencho publici iuris facto (Per. XXXIII, 216). Illam praeterea incunctanter applicat quoties casus occurrit (cfr. Dec. 23, XII, 215; Dec. 12, XV, 103; Dec. 17, XXIII, 131; Dec. 44, XXIV, 418; Dec. 73 (4 dec. 1937); Dec. 20, (20 mart. 1939). Vere ergo asseri posse videtur adesse hac in re constantem et uniformen iurisprudentiam S. R. Rotae. Haec autem iurisprudentia non potest non influere in decisiones tribunalium dioecesanorum circa causas matrimoniales eiusdem generis.

Adde quod S. R. Rota hoc solo principio iuris innixa pluries declaraverit certo constare de facto inconsummationis matrimonii cum ageretur de dispensatione petenda a S. Pontifice circa matrimonium ratum et non consummatum. Cum enim decerneret interdum hoc sacrum Tribunal non constare de nullitate matrimonii ex capite incapacitatis emittendi semen in testiculis elaboratum, eo quod non probaretur certo perpetuitas huiusmodi incapacitatis, vi facultatis specialis acceptae a S. Pontifice cognovit de solo facto inconsummationis matrimonii. Hoc in examine peragendo sequens principium statuit tanquam certum S. R. Rota, sc. constare de inconsummatione matrimonii quoties certo probetur virum saltem a prima die vitae coniugalis usque ad definitivam separationem fuisse incapacem emittendi semen in testiculis elaboratum.

Liceat nobis speciminis gratia citare verba sententiae Rotalis d. 18 apr. 1931 ... « Per sententiam Rotalem, dicitur, d. 29 iul. 1920, quae aliam confirmavit latam a Trib. eccl. dioecesano d. 10 iun. 1912, invalidum declaratum fuit ob impotentiam viri matrimonium initum d. 7 oct. 1897. Peculiaris vero impotentiae causa ab utraque sententia in hoc agnita fuit quod vir laborabat obstructione viarum spermaticarum — epididymorum et canalium deferentium — antecedenti atque perpetua, exorta ex orchite duplici blenorragica, qua is affectus fuerat ante matrimonium celebratum ... Sed ex novis actis patet perpetuitatem impotentiae in praecedentibus iudiciis assertum esse

in dubium revocandum ... Demum patet quid sit statuendum si impotentia sit antecedens et perduraverit per totum tempus consuetudinis coniugalis et dubia sit eius perpetuitas. Ubi id contingit, cum impedimentum sit dubium, matrimonium non potest declarari invalidum ob praescriptum citati canonis 1014 et sententia nullitatis, quae forte prolata fuerit, infirmanda est; at matrimonium non est consummatum et ideo iusta causa si adsit per dispensationem a Sede Apostolica concessam solvi potest »[7].

Fere eadem verba repetuntur in sententia d. 25 apr. 1941. « Cùm in causa praesenti vir vaginam uxoris penetrare potuerit et de facto saepius penetraverit cumque asserta impotentia viri unice adscribatur defectui veri seminis in testiculis elaborati, patet factum inconsummationis matrimonii in casu demonstrandum esse ex eo quod vir saltem a prima die vitae coniugalis usque ad definitivam separationem coniugum caruerit hoc semine ». Quando autem habeatur defectus veri seminis secundum iurisprudentiam S. R. Rotae alibi expressis verbis exponitur. « Defectus veri seminis ex duplici fonte oriri potest: siquidem aut testiculi semen producere non valent aut semen in testiculis elaboratum ad extra exire nequit. Primum accidit, si testiculi vel a nativitate adeo insufficienter evoluti sunt ut semen producere nequeant vel si post normalem evolutionem ob morbum venereum orchitis in tali gradu atrophia affecti sunt ut totaliter incapaces evadant ad semen producendum; alterum vero quando canaliculi epididymi vel ceteri canales deferentes ob epididymitem vel alium morbum in eo gradu obstructi sunt ut semen in testiculis elaboratum ad extra exire non possit ».[8]

Habentur hic duo casus, in quibus vitae communio per plures annos protracta est atque actui coniugali, regulariter toto hoc tempore peracto et quidem quoad apparentiam externam modo perfecto, nihil aliud deerat nisi

[7] Cfr. Dec. 17, XXXIII, 137.
[8] Cfr. Period. XXXIII, 212.

capacitas transmittendi semen in testiculis elaboratum ob canalium deferentium obstructionem. In utroque casu iudicavit S. R. Rota constare de inconsummatione matrimonii, ac cum existerent causae iustae censuerunt itidem consilium esse praestandum SS.mo pro gratia dispensationis super matrimonio rato et non consummato. Pius XI d. 22 maii 1932 et Pius XII d. 10 dec. 1943 concesserunt gratias expetitas. (Cfr. Dec. 17, XXIII, 131, 135, 137; Period. XXXIII, 215) [9]. Clarissime ergo patet laudatos SS. Pontifices considerasse tanquam certum et peremptorium argumentum ad gignendam certitudinem moralem de facto inconsummationis matrimonii solam incapacitatem emittendi semen in testiculis elaboratum, cum illa certitudo sit prorsus necessaria ad praedictam dispensationem dandam et in casibus propositis nullus alius defectus haberetur. Videtur ergo asseri posse RR. Pontifices in usu supremae potestatis vicariae confirmasse indirecte certitudinem sententiae, qua sola innixa S. R. Rota admisit factum inconsummationis.

Haec sententia uniformiter in iurisprudentia Rotali admissa multiplici modo est recentius impugnata. Intenditur potissimum infirmari argumentum depromptum ex Const. Sixti V « Cum frequenter » idque fit duplici modo, sc. vel negatur esse attribuendam S. Pontifici clausulam « eos verum semen emittere non posse » [10] vel asseritur his verbis non significari « semen in testiculis elaboratum » [11]. Excluso autem argumento desumpto ex Bulla Sixti V, aiunt, nulla ratio peremptoria afferri potest ad gignendam certitudinem hac in re. Et re quidem vera, aiunt, Gasparri et Wernz, quorum auctoritate nituntur generatim sententiae Rotales, argumentum praecipuum ad suam assertionem sustinendam desumunt ex Bulla Sixti V., transitum faciens a clausula « veri seminis », unice in Bulla

---

9 De aliis dispensationibus concessis cfr. Period. XXXIII, 217.

10 Cfr. Ephem. theol. Lovan. IX, 28.

11 Cfr. Theological Studies, VII, 401.

adhibita, ad illam aliam « veri seminis in testiculis elaborati ».

Fatendum est in primis S. Pontificem in Bulla citata ad firmandam suam decisionem non asserere directe et explicite eunuchos et spadones esse arcendos a matrimonio quia certum et manifestum est eos verum semen emittere non posse. Haec verba iuveniuntur solum in parte expositiva casus propositi a Nuntio pontificio in regno hispanico et manifesto exhibent rationes in Hispania adduci solitas ab assertoribus impotentiae eunuchorum.

Sed licet id verissimum sit, videtur tamen ante omnia asseri posse Sixtum V approbasse implicite rationes in parte expositiva propositas, quae si iudicio S. Pontificis valore caruissent, non fuissent profecto adeo accurate descriptae in ipso sollemni prooemio Const. pontificiae, cum ad plenam responsionem dandam satis fuisset solam speciem facti referre; haec igitur sollemnis repetitio simulque absentia vel minimae animadversionis contrariae satis superque demonstrare videntur S. Pontificem approbare rationes in parte expositiva adductas. Dein vero, si attente consideretur principium generale a S. Pontifice stabilitum in ipso limine partis dispositivae, apparebit clare ibidem contineri approbationem implicitam rationis in parte expositiva adductae. « Nos igitur attendentes quod secundum canonicas sanctiones et naturae rationem qui frigidae naturae sunt et impotentes, iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur ..... ». His verbis declarantur inepti ad contrahendum matrimonium tum qui frigidae naturae sunt, i. e. qui nequeunt ita excitari ut fiant capaces penetrandi vaginam mulieris, tum impotentes, i. e. qui etsi id praestare valeant, nequeunt tamen ulterius verum semen intra vaginam emittere. Ob hanc secundam rationem declarantur eunuchi et spadones inhabiles ad matrimonia contrahenda.

Dubitari nequit quin secundum mentem S. Pontificis, requiratur ad actum coniugalem, ad quem datur ius in

contractu matrimoniali, cooperatio testiculorum et quidem per illam secretionem emittendam in ipso actu copulae. Sub hac autem ratione illi qui ob defectum irreparabilem nequeunt emittere semen sunt aequiparandi eunuchis et spadonibus. Insuper addit et urget S. Pontifex secundam rationem inutilitatis coniugiorum eunuchorum et spadonum, quippe qui nec sedationem concupiscentiae per copulam obtinerent; sub hac ratione posset iam admitti differentia inter eunuchos et alios de quibus nunc agimus. Sed haec differentia minime sufficit ut illos inhabiles, hos autem habiles ad matrimonium habeamus.

Sed iam ulterius quaeritur quid intellegat S. Pontifex sub nomine veri seminis. Iuxta aliquos Sixtus V non intendit his verbis illum sensum tribuere quo necessario excluderetur a matrimonio vir qui operationem vasectomiae duplicis passus fuerit. De semine quod contineat nemaspermata Sixtus V ne cogitare quidem potuit, cum haec non nisi vergente saeculo decimo septimo detecta fuerint eorumque functio dein ignorata permanserit usque ad finem saeculi proxime elapsi. Volebatne fortasse S. Pontifex indicare his verbis semen in testiculis elaboratum? Haec postrema verba non inveniuntur in Bulla Sixti V nec apud antiquos canonistas; recentiores utique inde a Gasparri et Wernz fere semper de vero semine in testiculis elaborato loqui solent.

Contendunt tamen nonnulli haud posse ullo certo argumento probari verum semen, de quo agit hoc loco S. Pontifex, debere necessario continere illam partem liquidi de facto e testiculis provenientis, quae est minima[12]. Iuxta mentem Sixti V, aiunt, vero semini opponebatur solummodo exigua illa quantitas liquidi aquosi et clari quod emittere possunt eunuchi. Liquidum vero emissum ab eo qui duplicem vasectomiam passus fuerit, additur, multum differt a liquido eunuchi, immo quoad apparentiam ex-

12 Cfr. Theological Studies, VII, 402.

ternam simile est omnino semini viri sani tum quoad quantitatem tum etiam quoad qualitatem [13]. Ratio huius discriminis in eo reponenda videtur quod in casu nostro remaneant integri testiculi, quorum secretio interna immissa directe in sanguinem fovet actionem glandularum secundariarum ex quibus provenit maior pars liquidi in copula coniugali a viro sano eiaculati. Exinde fit etiam quod vis sexualis appetitus fere eadem subsistat etiam post praedictam operationem et voluptas sentiatur plena ab utraque parte in copula, quae ceteroquin quoad formam externam haud distingui potest ab actu coniugali perfecto [14]; vitantur ergo prorsus perniciosi effectus enumerati in Bulla Sixti V. Quo ergo iure, dicitur, applicatur nunc his viris, quorum actus coniugales summopere differunt ab illis actibus descriptis a Sixto V, norma stabilita pro eunuchis?

Quamvis supra exposita verissima sint, non videtur tamen admittenda conclusio quae asserit virum qui vasectomiam duplicem et irreparabilem passus fuerit esse probabiliter habilem ad ponendum actum per se aptum ad prolis generationem. Concedi potest eum esse capacem ponendi actum qui multiplici modo differt ab eo quem potest ponere eunuchus, sed pari tempore asserendum est utriusque copulam sub uno saltem respectu eoque essentiali convenire; i. e. convenit in eo quod est actus, etiam quatenus pendet a sola actione hominis, per se ineptus ad prolis generationem. Huc redit ratio antea iam indicata, sc. per operationem vasectomiae sic laeditur organum copulationis viri ut nequeat ullo modo functionem suam essentialem exercere durante copula; immo haec operatio id unice intendit sc. facere impossibilem assecutionem finis praecipui toti actioni humanae viri ipsa natura praestituti, qui non est alius nisi eiaculatio seminis in testiculis elaborati.

---

13 Cfr. ibid., 409.
14 Cfr. ibid. 410.

Contra senes vel alii qui sint incapaces elaborandi nemaspermata possunt praestare quantum requiritur in obiecto contractus matrimonialis, capacitatem sc. peragendi copulam per se aptam ad prolis generationem secundum quod ea est actio hominis; nam in eorum apparatu sexuali omnes partes destinatae ad cooperationem praestandam in ipso actu coniugali eodem prorsus modo operantur ac in apparatu sexuali viri capacis ad prolis generationem eorumque actus, abstractione facta ab actione naturae quae iam habita est quaeque mediis ordinariis et licitis cognosci nequit, nullo modo distinguitur a copula fecunda.

Iuxta doctrinam nunc expositam, ut quis possit arceri a matrimonio ob impedimentum impotentiae, debet certo probari eius testiculos non posse iam, nec nunc nec in posterum, quidquam conferre quod eiaculetur in ipsa copula peragenda; id autem constat, si probetur certo aut totalis et definitiva atrophia testiculorum aut totalis et irreparabilis obstructio canalium deferentium. De senibus autem ob solam rationem aetatis nec unum nec alterum probatur; atrophia totalis et definitiva certo probari posset solummodo ex microscopico examine texturae testiculorum, quod examen supponeret extirpationem et dissectionem horum organorum.

PH. AGUIRRE S. I.

DE LITURGIAE CATHOLICAE COMPOSITIONE

Liturgiam catholicam constare e sacrificio missae, sacramentis maioribus ac minoribus, officiis ac processionibus, commemorationibus atque abstinentiis sollemnibus, ut haec libris Ecclesiae liturgicis determinantur, liturgistarum communis est sententia.

Caerimonia autem in qua sacrificium missae offertur, duplex est. Prior eius pars praecipue e scripturarum sacrarum recitatione constat, cui semper ritus, precationes et cantus quidam, minore vel maiore copia, accedunt, aliquando etiam homilia; altera, post panis vinique oblationem, confectionem et collationem sacramenti eucharistiae continet, quod idem sacrificium est; haec quoque pars, praeter secundarios quosdam ritus, suas precationes atque cantus habet. Praecipua cultus liturgici synaxis, quae apud catholicos cotidiana est et pro fidelium necessitatibus etiam pluries in die celebranda, semper ambas caerimonias complectitur.

In singulis sacramentis maioribus, quae septem sunt, cum ipso praecipuo ritu, maiore quoque vel minore copia, ritus secundarii, omne genus precationes atque cantus, saepe etiam sacrae scripturae lectiones coniunguntur. Quin in quorundam sacramentorum caerimoniis facile alii ab aliis distinguuntur, sicut in missa, ritus binarum vel etiam plurium synaxum. Porro omnis sacramenti proprium est quod ipsam fidelium sanctificationem ipsa sua perfunctione efficiendam spectat.

Sacramenta minora, seu sacramentalia, ita vocantur, quia sacramentorum maiorum institutionem, efficacitatem, effectum aliquo modo participant. Praeter ea quae cum

singulis quibusdam maioribus sacramentis in unas caerimonias coagmentata sunt, haec proprie dicta sacramentalia complectitur liturgia catholica cuncta: absolutionem a poenis ecclesiasticis, precationes ad aegrotorum morientiumque allevationem, ordinationes minores ac professiones monachicas, caerimonias funebres, novae ecclesiae dedicationem, ecclesiae violatae reconciliationem, diversissimas benedictiones atque consecrationes, exorcismos proprie vel minus proprie dictos. De constitutione autem sollemniorum sacramentalium idem dicendum quod de sacramentis maioribus.

Officia vocamus euchologicas dumtaxat caerimonias, omni scilicet praecipuo rituali actu carentes, neque ad aliquid sive in ipsis hominibus sive in rebus ex indita sibi supernaturali virtute efficiendum praecipue ac proprie spectantes. Tale imprimis est officium canonicum horarum. Ad officia referendae sunt sacrae processiones, cum eae in quibus defertur ss. Sacramentum aliave res sacra, vel deducitur vir ecclesiastica aliqua dignitate excellens, tum eae quae supplicationis causa aguntur. Officium quoque est litania, quae persaepe in processione canenda est. Valde autem varia est officiorum compositio.

Sollemnes commemorationes proprie dictae eae sunt quibus eventa quaedam ad hominum redemptionem pertinentia commemorantur et celebrantur, quippe quae sola diem anniversarium habere possint.

Talia sunt, verbi causa, eventa vitae Domini nostri vel B. V. Mariae, martyria obitusve sanctorum, apparitiones eiusdem B. Virginis vel sanctorum archangelorum, inventio et recuperatio S. Crucis, diversa miracula, ecclesiarum dedicationes, reliquiarum depositiones vel translationes, alia. Minus proprie sollemnes commemorationes dicuntur eae quibus non eventa, sed ipsae personae vel res ob peculiarem suam excellentiam commemorantur et celebrantur, qualia sunt, verbi gratia, festum SS. Trinitatis, Ss. Corporis Christi, Ss. Cordis Iesu, B. V. Mariae de

Monte Carmelo, de Mercede, sollemnitas S. Ioseph Ecclesiae universalis Patroni, festum Omnium Sanctorum (etsi origine sua est festum dedicationis cuiusdam) et complura alia festa, sollemnitates, commemorationes, memoriae.

Perquam varius est commemorationum sollemnium numerus pro diversis rituum usibus. Multiplex vero commemorationis liturgicae ratio; praecipua tamen est celebratio missae officiique canonici recitatio. Aliter quoque in aliis ritibus determinatur propria uniuscuiusque dominicae significatio liturgica, et, per dominicas, uniuscuiusque feriae atque horae diei vel noctis, ita ut dominicae ac feriae aliquomodo annuis commemorationibus adnumerari possint.

Omnium denique rituum catholicorum communis est mos singulis annis determinatos dies vel dierum series propriis quibusdam abstinentiis destinandi hisque praecipuarum caerimoniarum rationem accommodandi.

Quae rerum constitutio ut manifestius appareat quam sit liturgiae catholicae propria, maxime conducit illam cum constitutione aliorum quorundam principalium cultuum, eique magis minusve affinium, summatim comparare. Hae igitur sunt illorum cultuum praecipuae caerimoniae.

I. *Cultus iudaici, maxime in templo Hierosolymitano, aetate Christi.* — 1. Complura sacrificia, altera cruenta: holocausta, pacifica, piacularia; altera incruenta; altera publica de causa publicisque sumptibus ab ipsis sacerdotibus, altera vero privata de causa suaque impensa a privatis offerenda; omnia tamen in templo. Porro offerebantur agni vel agnae, hirci, caprae, tauri, boves, vaccae; aliquando etiam columbae. Holocausta altera cotidie, mane et vespere, offerenda erant; altera determinatis diebus: in sabbatis, neomeniis, festis; vel peculiares ob causas: in purificatione leprosorum sive puerperarum, in solutione voti naziraeorum. Partes victimae quae non comburebantur, debebat sacerdos, ut sacrum cibum, in ipso templo

comedere. Sacrificia pacifica erant impetrationis vel actionis gratiarum; partes victimae quae ipsi offerenti cedebant, ab hoc in convivio, eoque in ipso sanctuario agendo, comedendae erant. Sacrificia piacularia erant pro peccato vel pro delicto; huiusmodi sacrificium quoque in purificatione leprosorum faciendum erat; etenim saepe sacrificia diversa coniuncte erant offerenda. Singulare erat sacrificium agni paschalis, cuius carnes in cena rituali domo edebantur. Quaedam sollemniora sacrificia adstante populo celebrabantur; quaedam comitabatur cantus determinatorum psalmorum.

Sacrificia incruenta, ciborum, potuum, incensi, diversas ob causas offerenda. Huc pertinet oblatio farinae, olei, vini in immolatione holocausti adhibendi. Quod autem de re oblata supererat, a sacerdote in templo consumebatur. Oblatio primitiarum et primogenitorum, solutio decimarum et tributi sanctuarii ad sacrificia quoque, sive cruenta sive incruenta, referendae. Votum naziraeorum. — 2. Ritus benedictionis et actionis gratiarum in cenis. — 3. Circumcisio. Purificationes rituales complures ab impuritate vel actibus quibusdam physiologicis, vel lepra, vel cadaveris tactu contracta. — 4. Frequentissimus precationis usus, cum in vita privata tum in publica; etiam, ut videtur, statis diei horis faciendae; nullius tamen communiter in templo. — 5. Processiones in templo per septem dies Tabernaculorum. Peregrinationes ad templum Hierosolymitanum in tribus maioribus anni sollemnitatibus. — 6. Dies ac tempora sacra: sabbatum, neomenia, dies expiationis, annus sabbaticus, annus iubilaei; festa paschatis et azymorum, pentecostes, tabernaculorum, « purim », dedicationis, lignorum. — 7. Perpetua abstinentia ciborum immundorum, ac ieiunia statis diebus. — F. X. Kortleitner, *Archaelogia biblica*, ed. nov., 1917, Pars I, *De antiquitatibus sacris*, p. 35-442; E. Kalt, *Biblische Archäologie*, ed. 2, IV, n. 98-154; H. L. Strack u. P. Billerbeck, *Exkurse zu einzelnen Stellen des neuen Testaments* (*Kom-*

mentar zum neuen Testament aus Talmud und Midrasch, Bd. IV), 3, 4, 6, 24.

II. *Cultus iudaici in diaspora, praecipue in synagogis.* 1. Caerimoniae conventus sabbatici ac festivi: recitatio confessionis *Audi Israel;* precum *Duodeviginti benedictionum;* geminae lectiones legis et prophetarum; benedictio a sacerdote pronuntianda, si quis adest. Cotidiana atque iterata recitatio eiusdem confessionis, mane et vespere, earundemque precum, mane, in meridie, vespere; quae recitatio ubique fieri potest, convenientissime tamen in synagoga agitur, sive singillatim sive communiter. Lectio legis in synagoga feria II et V uniuscuiusque hebdomadis. — 2. Tempora sacra diesque sacri sive festi eadem atque in cultu templi.

Cultus synagogalis per se non sacerdotalis est. — H. L. Strack u. P. Billerbeck, *Exkurse zu einzelnen Stellen des neuen Testaments*, 7. 11. Exkurs, p. 115-276; G. Dalman, *Gottesdienst, synagogaler*, in *Realenzyklopädie für protestantische Theologie und Kirche*, t. VII, p. 7-19.

III. *Cultus religionum mystericarum.* — 1. Ritus initiationis plurimi, alii in aliis religionibus: lavationes, unctiones, delibutiones, stigmatum impressiones, vestium impositiones, sacramentum seu ius iurandum. In mysteriis Attidis et Cybelae, taurobolium et criobolium; in mysteriis mithriacis, taurobolium; in his et in mysteriis Isidis atque Osiridis, cena ritualis. In omnibus enim religionibus mystericis initiatio aliquid omnino praecipuum erat. — 2. Sacra dramata solis initiatis exhibenda, quibus, per agenda quaedam, vel dicenda, sive ostendenda, altior illis rerum arcanarum ac divinarum praestabatur cognitio, salus vero ac felicitas spondebatur. In mysteriis Attidis atque Cybelae immolabatur taurus sexennis. Cum iisdem dramatibus fiebant processiones, in quibus res sacrae deferebantur, saltationes, alii ludi, saepe lascivi; praeparationis causa diversae abstinentiae et continentiae observandae erant.

— 3. Coniunctiones initiatorum cum diis ac deabus per orgia effrenatasque animorum ac sensum concitationes. — 4. In cultu mithriaco ternae cotidie dei adorationes.

Hae erant caerimoniae cultui quorundam deorum ac dearum propriae, quatenus hic e mysteriis constabat; eatenus autem dumtaxat cum cultu liturgico catholico comparandus nobis est. — S. Tromp, *De revelatione christiana*, ad calcem libri: *Excursus de religionibus mysteriorum et syncretismo.*

IV. *Cultus islamici.* 1. Sollemne sacrificium quorundam animalium, quod in ultimo anni mense, seu mense peregrinationis Meccensis, eodemque die, in ipsa hac urbe et per Islamicum universum, offertur. — 2. Decima religiosa seu elemosyna legalis. — 3. Circumcisio, et ablutiones purificationis maiores vel minores. — 4. Precatio canonica et ritualis cotidiana: in aurora, ad meridien, post meridiem, in solis occasu, vespere, versus Meccam facienda. Feria VI communiter fit in moschea principali, post brevem quandam praedicationem, moderante « praeside » (imâm). — 5. Peregrinatio Meccensis maior, ultimo anni mense, cum suis caerimoniis: visitationibus templi praecipui ceterorumque sanctuariorum; osculatione lapidis nigri; processione; sacrificio; aliis ritibus; peregrinatio minor, quolibet anni tempore et cum sola templi ac sanctuariorum visitatione. — 6. Festa canonica duo: festum minus, trium dierum, post absolutum ieiunium; festum maius, trium quoque dierum, medio mense ultimo, ita ut congruat cum sollemni peregrinatione Meccensi; alia quaedam festa minora, non canonica. Dies sacer unus in hebdomada: feria VI, qui dies est sollemnioris precationis. — 7. Perpetua abstinentia a carne porcina, a carne bestiarum non ritualiter occisarum, a vino omnique potu inebrianti. Ieiunium per omnes dies (non noctes) mensis noni (ramadân), quod in continentia ab omni sensuum voluptate consistit.

Cultus islamicus quovis sacerdotio omnino caret. — M. Guidi, *Storia della religione dell'Islam*, VI, in *Storia delle Religioni diretta da P. Tacchi Venturi*, t. II, 2 ed., 1944, p. 374-378.

V. *Cultus ecclesiae (lutheranae) Unionis evangelicae in Germania.* — 1. Officium principale dierum dominicorum ac festorum et sacra cena. Officium autem complectitur: confessionem, introitum, supplicationem *Kyrie*, hymnum angelicum, collectam, lectionem epistolae et evangelii, cum interiectis cantibus, symbolum, orationem actionis gratiarum (praefationem ritus romani), hymnum *Sanctus*, preces intercessionis, orationem dominicam, praedicationem, benedictionem; potest tamen praedicatio fieri etiam statim post symboli cantum. Cenae vero hi sunt ritus: cantus quidam communis, brevis communicantium hortatio, invocatio quaedam Christi Domini, narratio institutionis (adstantes alloquens), supplicatio *Agnus Dei*, communio, gratiarum actio; sacra autem cena non celebratur, nisi statutis diebus, vel si plures communionem petierunt. — 2. Sacramentum baptismatis — 3. Caerimoniae confirmationis, benedictionis coniugum, paenitentiae et confessionis, sepulturae, ordinationis praedicatoris. — 3. Dominicae, sacra Adventus, Septuagesimae, Quadragesimae ac Paschatis tempora, festa plurima Domini atque sanctorum; festum reformationis, Commemoratio defunctorum; singulae dominicae ac festa binas suas pericopas habent, alteram ex evangeliis, alteram ex antiquo testamento, vel e ceteris libris novi testamenti. — 4. Dies supplicationis et paenitentiae unus (f. IV post dom. III p. Pascha!) — D. A. Daniel, *Codex liturgicus ecclesiae Lutheranae in epitomen redactus* (*Codex liturgicus ecclesiae universae in epitomen redactus*, t. II); J. A. McHugh, *Lutheranism*, in *The Catholic Encyclopedia*, t. IX, p. 458-463; J. Wilhelm, *Evangelical Church (in Prussia)*, t. V, p. 642-645.

VI. *Cultus ecclesiae anglicanae,* quo utuntur etiam ecclesiae episcopales Scotiae et Americae. — 1. Cena dominica seu sancta communio, quae, sicut missa catholica, e duabus partibus constat, quarum altera singulis diebus dominicis ac festis celebratur, altera tunc tantum, cum conveniens numerus adest communicantium cum sacerdote. Prioris partis hi sunt ritus: oratio dominica et collecta quaedam praeparationis, decem mandatorum recitatio, cum iterata populi postulatione divinae indulgentiae ac gratiae, oratio pro rege; collecta diei, lectio epistolae et evangelii, sine ullo interposito cantu, symbolum Nicenum; monita de diversis rebus ad vitam communitatis spectantia, inter quae, si facienda est, significatio communionis in proxime sequenti dominico vel festo die facienda, contio vel homilia, collectio a diaconis vel aedilibus eleemosynarum atque oblationum adstantium, inter quam sacerdos unum vel plura brevia capitula ex evangeliis, ad eam materiam pertinentia, recitat; depositio donorum in altari, offertorium, id est oratio qua Deo offeruntur collectae eleemosynae et oblationes, si modo quae sunt, et preces adstantium; si in proxime sequenti conventu communio facienda est, sacerdos post absolutam contionem vel homiliam fideles cohortatur, ut ad illam digne accipiendam se praeparent, vel, si illos in ea re segniores repperit, eos ad illam participationem inducit.

Sanctae communionis vero praecipui ritus sunt: ante offertorii recitationem depositio panis et vini in altari, sine ullis verbis neque ulla eorum mentione in eodem offertorio; statim post hoc adhortatio communicantium, generalis confessio cum absolutione paucisque consolationis verbis; praefatio cum hymni *Sanctus* priore parte; oratio quaedam nomine communicantium dicenda; oratio consecrationis, narrationem institutionis continens (Deum Patrem alloquentem); communio; oratio dominica ab omnibus recitanda, oratio actionis gratiarum, hymnus *Gloria in excelsis,* benedictio et dimissio. — 2. Sacramenta baptis-

matis et confirmationis. Communio infirmorum. — 3. Caerimoniae matrimonii; visitationis infirmorum; sepulturae; gratiarum actionis mulierum post partum; comminationis seu denuntiationis irae iudiciorumque Dei contra peccatores; ritus faciendi, ordinandi et consecrandi episcopos, presbyteros et diaconos. — 4. Officium matutinum et vespertinum; litania; orationes et gratiarum actiones ad diversa. — 5. Dominicae, tempora Adventus, Septuagesimae, Quadragesimae, pasquale; festa Domini, Beatae Virginis, sanctorum; singulae autem dominicae ac festa suas pericopas proprias habent; plures sunt praefationes propriae. — 6. Ieiunia et abstinentiae eadem atque in ritu romano. — *Liber precum publicarum Ecclesiae Anglicanae* (*The book of common prayer and administration of the sacraments and other rites and ceremonies of the church*, etc.); J. Moyes, *Anglicanism*, in *The Catholic Encyclopedia*, t. I, p. 498-504; Sigourney W. Fay, *Protestant Episcopal Church in the United States of America*, in *The Catholic Encyclopedia*, t. XII, p. 493-495.

VII. *Ritus ecclesiarum « reformatarum » calvinistarum.* — 1. Divinum ministerium, quod non solum die dominica sed etiam diebus profestis, cum mane tum vespere celebrari potest. Constat praecipue e praedicatione vel scripturarum lectione, quam antecedit confessio generalis peccatorum, vel precatio praeparationis, canticum vel pauci versus ex aliquo psalmo, precatio ante praedicationem vel lectionem; sequuntur vero preces variae, canticum vel versus e psalmo aliquo, benedictio dimissionis. — 2. Sacramentum baptismatis; sacramentum eucharistiae, quod rarissime in anno celebratur; administratur autem mane, post absolutum ministerium divinum, eiusque ritus sunt: oratio inchoationis, narratio institutionis ex epistola s. Pauli ad Corinthios, cohortatio communicantium, praefatio communis vel propria (in Nativitate, Paschate, Pentecoste), hymni *Sanctus* prior pars, preces intercessionis,

oratio dominica, confessio et divinae veniae petitio, invitatio communicantium ad accedendum, oratio consecrationis, quae narrationem institutionis Deo Patri dicendam continet, communio, inter quam psalmi canuntur vel loci quidam e scriptura recitantur, canticum *Nunc dimittis*, oratio post communionem, hymnus *Gloria in excelsis*, cohortatio eorum qui communicaverunt, benedictio et dimissio. — 3. Benedictio nuptiarum; reconciliatio publice paenitentium. — 4. Dominicae, festa Nativitatis, Paschatis et Pentecostes. — H. A. DANIEL, *Codex liturgicus ecclesiae reformatae atque anglicanae in epitomen redactus* (*Codex liturgicus ecclesiae universae in epitomen redactus*, t. III) p. 1-291; W. BARRY, *Calvinism*, in *The Catholic Encyclopedia*, t. III, p. 198-204; A. DEGERT, *Huguenots*, t. VII, p. 527-537.

Simili cultus liturgici ratione utuntur ceterae ecclesiae quae « reformatae » appellari solent. — H. A. DANIEL, *Codex liturgicus ecclesiae reformatae* (v. p. 38, nota 2), p. 1-291; K. ALGERMISSEN, *Reformierte Kirchen*, in LTK, t. VIII, p. 703-705.

Imminuta quoque et quasi ad egestatem redacta liturgia utuntur aliae protestanticae confessiones, velut Anabaptistarum, Baptistarum, Congregationalistarum, Methodistarum, Presbyterianorum, etc., de quibus v. C. ALGERMISSEN, *La Chiesa e le chiese* (vers. e germ. serm.); optimos articulos in *The Catholic Encyclopedia*, t. I, p. 445-446; t. II, p. 278-281; t. IV, 239-241; t. X, p. 237-243; t. XI, p. 95-97; t. XII p. 392-395; p. 581-582; p. 709.

Apparet igitur liturgia catholica praeter ceteras omnes locuples ac varia, stabilis, continua seu perpetua, aequabilis, temperata, diversissimis conventibus accommodanda, augusta ac magnifica, obiectiva, ut hodie dicunt, id est multo magis quam Deum colentium devotione, virtute quam sacri ritus e passione Christi accipiunt, confisa ac freta. Eadem sola vere sacerdotalis est, atque ipsius Christi opus.

* * *

Liturgiam catholicam non esse dumtaxat aliquid e sexcentis rebus inter se natura dissimilibus conflatum, iisque eo tantum coniunctis, quod ad eundem finem usurpantur Deum colendi, sed esse verum aedificium quoddam, cuius omnes partes ita sint exstructae, ut et inter se aptissime conveniant, et perfecte in totam rem quadrent, cum ex historia illius ortus et progressus, tum ex ipsa eius praesenti structura facile cognoscitur.

Ideo scilicet liturgia catholica aptissime constructa dicenda est, quod 1. nihil quod a se quovis modo alienum sit continet, seu omnes singulaeque eius partes verae caerimoniae sunt, id est actiones quae ipsa sua natura idoneae sunt ad reverentiam ac subiectionem nostram erga Dei excellentiam et dominium exhibendam; — 2. quod eaedem caerimoniae praecipua quadam atque artissima ratione aliae cum aliis cohaerent.

Liturgiae catholicae caerimonias, principalesque ritus e quibus eaedem caerimoniae constant, omnia ac singula ad cultum divinum proprie et per se spectare facile demonstratur. Etenim, ut Dei cultus omnino perfectus sit, debet actus adorationis, seu Dei honoris ac famulatus, in quo ille cultus consistit, his voluntatis actibus compleri, qui omnes ad debitum nostrum erga Dei excellentiam ac dominium pertinent, et ad virtutem religionis ipsi per se referendi sunt: voluntate prompte tradendi se ad ea quae divini cultus sunt seu devotione; *Summa theologica,* II-II, q. 82; divinarum perfectionum atque operum admiratione et laudatione; actione gratiarum de divinis beneficiis; II-II, q. 83, a. 17; q. 106-107; voluntate operandi ad commissi peccati destructionem per compensationem seu satisfactionem pro illius formali ac materiali, id est paenitentia; III, q. 85; propitiatione Dei, seu voluntate nos Deo gratos, Deum vero nobis propitium faciendi, ut nobis ignoscat, parcat, faveat.

Porro ipse adorationis actus omnesque actus quibus complendus est, tribus modis fieri possunt[1]. Deo, verbi causa, gratias agere possumus vel ei dicendo: Gratias agimus tibi de innumeris beneficiis tuis, vel ei sacrificium actionis gratiarum offerendo, vel eius beneficia idoneo modo commemorando, vel ab eo submissa cum fiducia nova beneficia postulando. Quibus autem actibus exterioribus multiplices illae Dei colendi rationes exprimi possint s. Thomas, II-II, q. 81-91, summatim et generatim exposuit. Liquet enim plures alios actus cultus exterioris excogitari posse, inter quos sacrorum librorum recitatio, praesertim ritualis; nec minus manifestum est laudem Dei, verbi gratia, multis modis fieri: per dicenda vel agenda, per ipsam laudis enuntiationem, per precationes vel per hymnos aliaque carmina, per narrationes et lectiones, per cantus vel piarum imaginum expositiones ac venerationes. Exteriores autem iidem actus alii aliquid Deo exhibendo, alii aliquid divinum assumendo fiunt. Huius generis sunt sacrae lectiones.

Qui igitur eas cultus divini opes facultatesque sibi ante oculos posuerit, profecto facile perspiciet nullam esse in catholica liturgia caerimoniam, nullum maioris momenti ritum, quin ipsa sua natura verus actus cultus sit, quoniam quidquid in illa liturgia praecipuum apparet, natura sua actus adorationis est, vel devotionis, vel laudationis, vel actionis gratiarum, vel paenitentiae, vel propitiationis, atque is verbis sive gestibus, precibus aut laudibus, lectionibus vel cantibus, eucharistici sacrificii oblatione sacramentorumve administratione ac receptione, modo per rei alicuius exhibitionem Deo faciendam, modo per rei divinae assumptionem, efficientissime praestandus.

Etenim eiusdem liturgiae perfectae unitati seu sinceritati nequaquam adversatur multa in ea, etiam principaliora, non ipsi Dei, uni atque trino, vel singulis ss. Trini-

[1] I. M. Hanssens, *Institutiones systematico-historicae liturgiae*, p. 42-43.

tatis personis, Christoque Domino, sed B. V. Mariae quoque, angelis ac sanctis, celebrantibus et concelebrantibus, rebus perquam multis, magis minusve sacris, adhiberi, adeo ut ipsum eucharisticum sacrificium ad honorem eiusdem B. Virginis, vel angelorum vel sanctorum offeratur.

Nam cultus B. V. Mariae, angelis, sanctis, celebrantibus, rebus sacris impendendus, prout ad ipsam divinam excellentiam ac dominium relativus est, id est per earundem personarum ac rerum participatam excellentiam ac praestantiam (quam ne rebus sacris quidem prorsus deesse existimamus) usque ad ipsam divinam excellentiam ac dominium actu atque explicite refertur, idem est natura sua, atque ille qui immediate ipsi Deo tribuitur, seu cultus est latriae; quamquam ratione suae perfunctionis saepius ab eodem discrepare debet, maxime ne videamur ipsis creaturis cultum praestare qui soli Deo est adhibendus. Eo relativo cultu praecipue colitur Christi crux ipsa ceteraeque imagines, ut formalissime eius imagines sunt, seu actu Christum repraesentant; eadem crux ceteraque passionis instrumenta propter suam singularem cum Christo patienti coniunctionem.

Prout vero absolutus est idem personarum ac rerum cultus, harum tantum excellentiam ac superioritatem explicite spectat, Dei autem excellentiam ac dominium implicite dumtaxat. Quamquam enim participata est creaturarum excellentia ac superioritas quaelibet, et quamvis iis, maxime rebus, extrinseca sit, vere tamen illarum est, seu eas ipsas vere excellentes et praestantes, cultuque proprio dignas efficit. De rebus sacris, verbi gratia, docet s. Thomas, II-II, q. 99, a. 1, c., sacrum dici aliquid ex eo quod ad divinum cultum ordinatur, ex eaque deputatione idem divinum quoddam effici, cui reverentia quaedam debetur, in Deum inde referenda; christianum quoque populum sacrum fieri, cum per fidem et sacramenta Christi sanctificatur; ad 2. In imaginem vero duos motus distinguit, alterum

qui per hanc actu refertur in rem, alterum qui imagini exhibetur et in rem tantum redundat. II-II, q. 103, ad 3.

Ex actibus autem liturgicis, qui, quod ad ipsam Dei excellentiam ac dominium pertinet, absoluti sunt, alii, quod ad excellentiam ac praestantiam B. V. Mariae, angelorum, sanctorum spectat, absoluti, alii relativi sunt; illis ipsae sanctae personae coluntur, his earum imagines, vel aliae res cum iis aliquomodo coniunctae. Natura tamen sua utrique hi actus iidem sunt.

Cum B. V. Maria quidem, angelis, sanctis, cum celebrantibus ac ministrantibus, cum concelebrantibus qui sint in aliqua vera praelatura (CIC, c. 110) constituti, non solum Dei excellentiam sed etiam dominium aliis aliter quodammodo communicari manifesto e doctrina s. Thomae de pietate, observantia ac dulia, II, q. 101-103, manat. Quare, verbi causa, domina constanter in omni liturgia catholica vocatur B. Virgo, domini in liturgia syriaca sancti, servi sanctorum proprio nomine in baptismo nuncupari amant Aethiopes, omnisque christianus sese sanctorum non solum clientem, sed famulum quoque libenter profitetur; dominus in omni liturgia appellatur celebrans.

At quid de concelebrantibus qui non sint in aliqua dignitate constituti, quid de rebus sacris? Omnes christianos aliquomodo alios aliis dominos pariter esse et servos docet Apostolus, cum dicit, verbi gratia, nos debere invicem honore etiam praevenire, *Rom.*, 12 10; per caritatem invicem servire, *Gal.*, 5, 13; vel cum declarat omnium sese servum factum esse, *I Cor.*, 9, 19; se ipsum ceterosque evangelii ministros fratrum suorum servos esse per Iesum, *II Cor.*, 4, 5. Eosdem christianos cunctos vocat s. Petrus, *I Petr.*, 2, 9, genus electum, regale sacerdotium. Et numquid mera humilitatis demonstratio est, cum se summus pontifex servum servorum Dei profitetur? Rebus vero sacris nonne aliquomodo servimus seu subicimur, cum eas, non propter utilitatem nostram, sed propter suam dignitatem, quia res divinae seu Deo dicatae sunt, e gravi obligatione,

magna atque continua diligentia, nec sine incommodo nostro ac labore, custodimus et curamus; eas non honoramus dumtaxat, sed submisse seu humiliter reveremur? Nonne tempore persecutionis antiqui christiani mortem crudelissimam obire maluerunt, quam sacros libros vel vasa tradere?

Etenim non ea ratione divinum dominium participare dicimus B. V. Mariam, angelos, sanctos, celebrantes atque concelebrantes, multoque minus res, ut in nos eam potestatem habeant quae parentum est in filios, vel principium in subditos, vel dominorum in famulos, ita ut illarum personarum vel rerum dispositionibus subiciamur; quod maxime de rebus plane absurdum esset cogitare. Sed putamus tantummodo cum illis aliter atque aliter eam praestantiam aliquatenus a Deo communicari, quae superiorum est erga suos inferiores; porro hanc praestantiam in rebus sacris esse prorsus extrinsecam, seu totam in illorum relatione ad Deum sitam.

Cultus autem qui creaturis propter earum excellentiam ac dominium sive superioritatem debetur, cultus est duliae, id est cultus honoris simul atque obsequii cuiusdam: pietatis, observantiae vel servitutis, et quoniam cultus duliae, sive haec communiter, sive stricte sumitur, II-II, q. 103, a. 4, specie differt a cultu latriae, fatendum videtur caerimonias ac ritus liturgicos, quatenus iis B. V. Maria, angeli, sancti, celebrantes et concelebrantes, praelati (CIC, c. 110) resque sacrae absolute coluntur, cultui liturgico re vera aliquatenus esse extraneos; liturgicas, verbi gratia, non esse celebrantis, ministrorum, adstantium turificationes in missa ritus romani.

At vero, 1. ille cultus duliae non eius duliae est quae a s. Thoma dulia stricte sumpta vocatur, et est species quaedam observantiae, nimirum observantia quam servus suo domino debet; sed illius duliae, seu distinctius illius hyperduliae ac simplicis duliae, quae una cum pietate, observantia, aliisque huiuscemodi virtutibus species sunt du-

liae communiter sumptae, II-II, q. 103, a. 4, c. et ad 2, et, sicut eaedem virtutes, partes potentiales sunt virtutis religionis seu latriae. — 2. In liturgia catholica vix umquam cultus absolutus sine cultu ad ipsam divinam excellentiam ac dominium relativo adhibetur; quin imaginum aliarumque rerum sacrarum cultus relativus adeo praeter absolutum pollet, ut paene solus praestari dicendus sit. — 3. Etsi actus cultus duliae, quatenus liturgici sunt, ipsi a virtute religionis seu latriae imperandi dumtaxat sunt, per modum tamen suum idonei fiunt, qui ad Dei excellentiam ac dominium directe referantur et ab eadem virtute etiam eliciantur; velut Commune festorum B. Mariae virginis in ritu romano, quod simul magna e parte ipsam Virginem alloquitur, aliterque directe ad eam refertur, simul pars divini officii manet, multisque indiciis tale demonstratur. — 4. Etiam Deum colentium mente actus cultus duliae implicite et virtualiter in ipsum Deum referantur oportet.

Neque magis quam coniunctio cultus relativi et absoluti, latriae et duliae, liturgiae catholicae sinceritati contrarium est etiam praecipuos quosdam eius ritus totasque caerimonias ad alias quoque virtutes atque latriam et duliam esse referendas. Exempli causa afferri potest caerimonia mandati, quae etsi fraternae caritatis atque humilitatis actus est, nihilo minus tota suae perfunctionis ratione etiam divini cultus proprius actus demonstratur.

Multo autem minus postulat liturgiae unitas, ut secundarii eius ritus omnes ipsi per se, seu per suam substantiam, actus cultus sint, sed sive ipsi per se ex aliqua necessitate sive ob aliarum quarundam virtutum honestatem, verbi gratia, fidei, spei vel caritatis, faciendi sunt, satis est ut ad perfectiorem rituum praecipuorum perfunctionem dirigantur, ipsique ita agantur, ut per modum suum actus cultus ac religionis evadant. Quod, cum in missa romana hymnus *Gloria in excelsis* vel fidei symbolum canitur, celebrans ac ministri sacri sedere consueverunt, id certe ob necessitatem quandam, at etiam convenientioris

totius missae celebrationis causa servatur, ipsaque illa sessio, prout est ad definitum ac valde decorum modum agenda, verus missae ritus exstitisse putanda est, quo Deo honor et famulatus exhibetur.

Quare omnes actus virtutis duliae vel virtutum theologicarum, aliarumve virtutum, quatenus actus cultus liturgici sunt, illis actibus adorationis, devotionis, admirationis ac laudationis, actionis gratiarum, paenitentiae ac propitiationis quos supra percensuimus, comprehenduntur. Cum, verbi causa, B. Virginem veneramur, cum ei nos subicimus, cultui eius nos dedicamus, gratias ei agimus, nos peccatores apud eam agnoscimus, eius misericordiam imploramus vel auxilium exposcimus, quatenus eosdem actus explicite vel implicite, quod in liturgia necessario fit, in ipsum Deum propter eius excellentiam summumque dominium referimus, hunc adoramus, eius cultui prompta voluntate nos devovemus, ei gratias agimus, apud eum peccata nostra expiamus, eius indulgentiam ac benignitatem suppliciter exoramus.

In liturgia catholica legitima, id est ea qua utitur ipsa Ecclesia catholica, nihil eorum quae sunt a Christo instituta deesse posse, nihil posse adesse quod iisdem institutis contrarium sit, vel saltem ab iis alienum; unius Ecclesiae catholicae esse de hac re iudicare ac decernere; eiusdem, et quidem solius, ritus a Christo institutos determinare, ordinare, propriis suis institutis complere et perficere, ita ut nullus esse possit ritus liturgicus legitimus, quin sit ab Ecclesia catholica ordinatus, vel institutus atque ordinatus; eam in praecipuis his rebus agendis infallibilem esse; liturgiae catholicae legitimae igitur praecipuos ritus tales semper fuisse et etiamnum esse, quales eos esse voluit ac vult illius divinus conditor et principalis oblator, haec omni homini catholico prorsus credenda sunt.

Quam Ecclesiae catholicae auctoritatem atque operam cum repudiassent protestantes, etiam veram liturgiam catholicam amiserunt, sive eam per reformationis speciem

praecipuis suis caerimoniis, quale est maxime sacrificium missae, exinanierunt; quod fecerunt Lutherani et Anglicani; sive in illius locum alias liturgias quasdam, a se excogitatas, et eas valde exiles, nomineque cultus liturgici vix dignas, substituerunt; quod Calviniani aliique Reformati ausi sunt.

Ecclesiae orientales dissidentes e contrario, etsi in singulis quibusdam rebus liturgias suas plus minusve laeserunt, alia ex inscitia male supprimendo vel depravando, alia e neglegentia obsolescere sinendo, alia paganismum vel superstitionem aliquantum redolentia admittendo, alia rursus, quamvis iusta et sancta, obstinatione quadam abnuendo, nihilo minus, communi ecclesiarum traditioni fideliter inhaerentes, universam catholicam liturgiam integram perpetuo servaverunt.

At haud minus quam congruentia singularum caerimoniarum ac rituum liturgiae catholicae cum hac universa, perfecta apparet in eiusdem liturgiae aedificio cohaerentia caerimoniarum inter se, singulorum vero rituum inter se quoque et cum totis caerimoniis quarum partes sunt. Cohaerentia autem rituum suo loco demonstratur; hic caerimoniarum breviter illustranda.

Porro caerimoniarum liturgicarum cohaerentia interior est, sive exterior; interior, quatenus e diversis illarum naturis seu constitutionibus exsistit; exterior, quatenus Ecclesiae dispositione efficitur, caerimonias quasdam in unum coniungentis.

Cultus liturgici caerimonia omnino principalis est missa, ideo quod, 1. missa praecipue e sacrificio novae legis constat; sacrificium autem est actus cultus publici excellentissimus, ipso iure naturae praescriptus, honorem ac famulatum soli Deo debitum proprie significans, aliique nemini quavis ratione praestandus. L. BILLOT, *De Ecclesiae sacramentis*, t. I, ed. 5, p. 580-655; — 2. idem missae sacrificium etiam sacramentorum potissimum est; — 3. idem sibi communem et ordinatam sacrae scripturae lec-

tionem copulatam habet; — 4. duo in ea sociantur generales modi Deum colendi, per exhibitionem et per assumptionem; — 5. missa totius fidelium communitatis synaxis per excellentiam est. Missae scilicet celebratio cultus catholici nota propria est.

Porro sacrificium novae legis seu eucharisticum non solum adorationis, actionis gratiarum, expiationis ac satisfactionis, propitiationisque sacrificium est, sed est etiam laudis. Nam, etsi laus proprie non fit nisi ore seu laudationis verbis, quibus alicuius praeclara opera eximiamque virtutem per haec manifestatam commendamus, nihilominus sacrificium eucharisticum, ideo quod redemptionis nostrae mysterii commemorativum est, hoc tanquam per verba disertissime commendare omnino existimandum est; *IV Dist.*, d. 12, q. 2, a. 1, qu. 2, ad 2. Accedit quod sacrificium eucharisticum non conficitur nisi verbis, quae licet sint de praesenti, simul tamen narrativa sunt. Sacramentum vero eucharistiae inter omnia vel eo quam maxime excellit, quod cum cetera gratiam tantum contineant, quae fructus est passionis Christi, illud ipsum Christum continet, qui per passionem suam unus totius gratiae fons est constitutus.

Missa igitur eas omnes divini cultus rationes eminenter per se ipsa praestat, quas ceterae caerimoniae liturgicae, cunctae dumtaxat, seu singulae e parte, exhibent. Quare hae cum illa coniunguntur, quemadmodum cum re in genere aliquo principali et absolutissima connectuntur res eiusdem generis secundariae atque imperfectae, adeo ut si, quod fieri neutiquam potest, missa interiret, rueret una totus reliquus liturgicus cultus. Alia eaque singulari ratione ad missam pertinet baptismus atque confirmatio, et praecipue sacramentum ordinis, quatenus illum characterem conferunt, qui est participatio sacerdotii Christi. Prout vero gratiam conferunt, non solum eadem tria sacramenta, sed etiam quattuor cetera ad missae celebrationem quoque spectant, quoniam, ut docet s. Thomas, omnibus

sacramentis homo perficitur in his quae pertinent ad cultum Dei secundum religionem seu ritum vitae christianae, huius autem praecipua caerimonia est profecto missa. E sacramentalibus vero speciali modo ad missam referuntur, verbi gratia, dedicatio vel benedictio ecclesiarum atque oratoriorum, consecratio vasorum sacrorum, benedictio paramentorum, et alia id genus.

Nisi quod in officio horarum ritus romani, secundum usum non valde antiquum, eaedem sunt collectae atque in missa, homiliis vero illustrantur eiusdem evangelia, nulla est specialis atque intima coniunctio officii horarum cuiusvis ritus et missae. Opinio enim quorundam liturgistarum (Callewaert, Oppenheim, etc.), priorem partem missae et partem principalem officii canonici, seu nocturnum cum vespertino et matutino, ambas e ritu antiquarum vigiliarum manare, multiplici modo improbabilis apparet.

E contrario artissime et cum missa et cum officio canonico sociatur sollemnium commemorationum atque abstinentiarum celebratio. Quin haec, prout liturgica est, paene tota ex officio et praecipue e missa constat. Et id optimo iure, quoniam in unaquaque missa plene renovatur illud redemptionis nostrae mysterium quod partim tantum illa celebratione memoratur et exhibetur.

Quomodo sacramenta inter se coniungantur diversis modis explicari potest; praeter ceteras pulchra est ratio quam tenet s. Thomas in *S. th.*, III, q. 65, a. 1, c. Praecipuo autem modo inter se connectuntur sacramenta initiationis christianae, baptismus, confirmatio et eucharistia, non adeo tamen ut de Ecclesiae iudicio non possint ac debeant etiam separate confici atque conferri.

Exterior vero caerimoniarum cohaerentia, quoniam ex Ecclesiae dispositionibus oritur, non eadem est in omnibus ritibus. Praecipuae coniunctiones hae sunt. Imprimis cum missae celebratione coniungitur non solum ipsius celebrantis communio, quippe quae sit eius pars integrans, et, in ritibus orientalibus, communio diaconi, sed etiam,

quantum fieri potest, alia quaelibet communio. Omnis enim communio non est tantum collatio sacramenti in consecratione confecti, sed ritualis esus victimae in eadem oblatae atque immolatae. Apud Orientales dissidentes, quamquam etiam sanis communio separatim a missa, ritu « consignationis calicis », dari potest, hoc tamen vix umquam agitur. Facilius vel etiam facillime e contrario fit apud catholicos cum occidentales tum orientales, etsi etiam in his ritibus optima communionis ratio est, ut fiat in ipsa missa, utpote cuius celebrationem communiorem perfectioremque efficiat. Cfr. Conc. Tridentinum, *Doctr. de missa,* c. 6, Dz. 944.

In ritibus latinis, nisi graves urgentesque causae obsint, adultus baptizatus statim missae sacrificio assistat et sacram communionem percipiat. CIC, c. 75 3, § 2. Quin, si adsit episcopus, qui id legitime praestare possit, ab eo neophytus adultus statim post suum baptismum sacramento confirmationis quoque initietur. *Rituale romanum,* tit. II, c. 4, n. 52. In parvulorum vero initiatione receptio sacramenti confirmationis atque eucharistiae usque ad aetatem discretionis differenda est, nec remanet ulla coniunctio baptismi cum missa. CIC, c. 788; 854. Orientales dissidentes tria sacramenta et missam semper in unam caerimoniam coniungunt, sive parvulus sive adultus initiandus est; parvulis tamen communio saepe ficte tantum datur. Catholici vero rationem rituum latinorum fere tenent, nisi quod confirmatio parvulis statim post eorum baptismum ab eodem sacerdote conferri solet. Cfr. F. M. Cappello, *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* t. I, 1928 p. 701-715.

Cum celebratione missae connectuntur etiam ordinationes saltem maiores. CIC c. 1005 praecipitur praeterea ut omnes ad maiores ordines promoti sacram communionem in ipsa ordinationis missa recipiant, similemque obligationem ferunt quoque ritus ordinationum maiorum ecclesiarum orientalium, excepta chaldaica dissidenti. Benedictio nuptialis ritus romani dari non potest nisi in missa.

Etiam sacramentalia quaedam maiora, praesertim ea quae a tota fidelium communitate celebrari solent, cum missa coniunguntur: velut in ritu romano benedictio candelarum, cinerum, palmarum; benedictio olei infirmorum et olei catechumenorum, consecratio chrismatis; dedicatio ecclesiarum; benedictio abbatis vel abbatissae; alia plura. In ritibus orientalibus similes connexiones servandae sunt.

Eo autem quod celebratio quarundam missarum, maxime in ritu romano, cum determinatis horis officii canonici coniunguntur, nulla demonstratur, ne exterior quidem, missae et officii illius vera cohaerentia. Coniunctiones illae inde tantum oriuntur, quod ambae caerimoniae necessario in easdem horas incidunt. Firmior est in plerisque ritibus coniunctio exsequiarum et missae.

Quo denique modo Ecclesia cum sollemnibus suis commemorationibus atque abstinentiis et officii horarum et missae celebrationem in quolibet ritu liturgiae catholicae coniungat, iam dictum est, neque aliter agere sane posset, quoniam illam coniunctionem ipsa rerum natura exigitur. Quin sine missa et officio canonico abstinentiae annuae ritus liturgici non essent.

Ut firmissima igitur apparet per se liturgiae catholicae structura, sic etiam talis demonstratur quae ex Ecclesiae iudicio facile populi fidelis necessitatibus aptetur.

* * *

Historiam compositionis atque structurae liturgicae catholicae praebent recentiores historiae ecclesiasticae scriptores, cum incrementa demonstrant quae progredientibus saeculis illa liturgia nacta est; praecipue vero, quod ad cultus liturgici origines pertinet, L. Duchesne in opere eximio *Origines du culte chrétien*.

Haec sunt summa illius historiae capita:

1. Ab ipsis suis initiis liturgia catholica omnia quae ab ipso Christo instituta erant, comprehendebat, ea autem

ab apostolis eorumque successoribus ordinata, id est definitis, quantum opus erat, formis donata, idoneisque ritibus locupletata. Iam tempore Iustini eucharistia, verbi gratia, missa evaserat.

2. Ut dictum est, liturgia catholica, propter intimas caerimoniarum ac rituum suorum compactiones, verum aedificium, quin vivus quidam organismus existimari potest. Quare illius incrementa aliquo modo cum progressibus rei vivae atque crescentis comparari possunt. Cfr. F. PROBST, *Liturgie der drei ersten Jahrhunderte,* p. 13.

3. Ad sacramenta maiora valde cito minora magno numero opera Ecclesiae accesserunt: ordinationes minores, adlectiones diaconissarum et lectricum, benedictiones rerum, exorcismi, ut e pluribus documentis saeculi III apparet.

4. Officio quodam lectionum, quod origine sua aliud non est, nisi officium sabbaticum synagogarum, priorque missae pars evasit, christiani a principio in synaxi sua dominicali usi esse videntur. Iam saeculo III cotidiana atque communis christianorum precatio, praeter tres horas quas Tertullianus apostolicas, s. Cyprianus antiquitus observatas vocant, seu tertiam, sextam, nonam, eas orationes quoque complectebatur, quas idem Tertullianus legitimas nuncupat, Eusebius Caesariensis vero per totum terrarum orbem in ecclesiis constitutas affirmat, matutinam videlicet et vespertinam. Illis porro accesserat sexta hora quaedam in galli cantu, id est in nocte dicenda.

5. Diem dominicam christianos ab ipsis initiis coluisse credendum est, atque id duabus synaxibus habendis, altera lectionum, mane vel etiam ante lucem, altera eucharistica, vespere. Cfr. *I Cor.*, 16, 2; *Act.* 20, 7; *Doctrina XII apostolorum*, c. 14; PLINIUS IUNIOR, Epistula 96, *Ad Traianum imperatorem*. Synaxis quoque fiebat duobus diebus stationis, feria IV et VI. Etsi non iisdem ubique diebus, mysteria passionis ac resurrectionis Domini iam saeculo II annuis sollemniis in universa Ecclesia celebrabantur. De

festis vero Nativitatis Domini atque Epiphaniae nulla sunt documenta saeculo IV antiquiora; neque ante saeculum III ipsa festa exstitisse videntur. Cultus martyrum in quibusdam regionibus iam saeculo II, in aliis saeculo III ortus est; die anniversario martyrii seu die natali martyris ad huius sepulcrum, post actam per totam noctem vigiliam, missa celebrabatur.

6. Antiquissima sunt ieiunia duorum stationis dierum, seu feriae IV et VI, in eorum locum substituta quae Iudaei feria II et V observabant. Ieiunia paschalis aliter in aliis ecclesiis iam saeculo III agi solita erant. Excepto sabbato sancto, dies ieiunii erant etiam dies communis synaxeos.

I. M. Hanssens S. I.

CASUS DE VALORE DISPENSATIONIS MATRIMONIALIS

Caius, catholicus, matrimonium inire vult cum Emma, quae dicit se esse Calvinistam.

Ordinarius, qui non habet facultatem dispensandi, a S. C. S. Officii petit « dispensationem super impedimento mixtae religionis, et ad cautelam, disparitatis cultus, ut catholicus Caius licite ac legitime matrimonium contrahere possit cum acatholica Emma ». Rescribit S. C. S. Officii: « SS.mus D. N.... benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Ordinarii N., qui ... dispensare valeat catholicum Caium ab impedimento mixtae religionis et ad cautelam disparitatis cultus ».

Praestitis cautionibus et servatis ceteris omnibus de iure servandis Ordinarius exequitur dispensationem « super impedimento mixtae religionis et ad cautelam disparitatis cultus, ut Caius catholicus licite et legitime matrimonium contrahere valeat cum Emma, calvinista ...

Postea coram parocho et duobus testibus iuxta canones matrimonium contrahitur. Post aliquot annos vero Caius relicta Emma, novum inire vult matrimonium et petit declarationem nullitatis matrimonii cum Emma. Revera adest solida ratio dubitandi utrum dispensatio concessa valida fuerit: Emma enim numquam fuit calvinista sed erat hebraea, certo non baptizata; quae tantum ut facilius obtineret dispensationem finxit se esse calvinistam.

Hoc factum omnino constat ac probari potest.

Unde duplex quaestio, quam solvere intendimus:

I. Estne dispensatio data invalida? Et si responsum est affirmativum:

II. Potestne Ordinarius declarare nullitatem huius matrimonii per processum breviorem, de quo in can. 1990?

I. AD PRIMAM QUAESTIONEM: Estne dispensatio in casu invalida? Dispensatio invalida esse potest ex diversis capitibus, quorum praecipua hic enumeramus:

1) Invalida est dispensatio, si accipiens est INHABILIS ad impetrandum rescriptum, ita can. 36 § 2. Haec vero inhabilitas multum restricta est: afficit enim tantum excommunicatos vitandos et excommunicatos et suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam necnon personaliter interdictos [1]. De his vero in casu sermo non est. Quidem infideles inhabiles sunt ad impetranda rescripta [2], sed dispensatio matrimonialis non datur parti infideli, quae ceteroquin legibus ecclesiasticis directe non subest, sed datur parti catholicae.

2) Invalida est dispensatio, si CONDICIONES ESSENTIALES de quibus in can. 39 impletae non sunt.

In casu omnes condiciones *rescripto dispensationis appositae* impletae erant. Quare neque ex hoc capite dispensatio dici potest invalida. Attamen ex parte harum condicionum essentialium difficultas moveri potest: in omni dispensatione ad contrahendum cum infideli, qui hebraeus est, specialis apponi solet condicio: « dummodo absit periculum ... circumcisionis prolis ».

Ideo si S. C. S. Officii scivisset Emmam esse hebraeam certo hanc condicionem apposuisset. Insuper in casu haec condicio certo verificata non est: non enim requiritur ut *obiective* nullum periculum adsit ut prolis circumcidatur, sed requiritur ut executor dispensationis habeat *certitudinem moralem subiectivam* hanc condicionem impletum iri; quia:

a) certo valida est dispensatio, etiamsi postea prolis circumcidatur, dummodo tempore executionis dispensationis executor recte putaverit tale periculum abesse;

b) etiam si agitur de cautioniibus ordinariis, de quibus in can. 1061 § 1 2° *subiectiva certitudo* in dispensante

---

[1] A. VAN HOVE, *De rescriptis*. Mechliniae-Romae 1936 n. 96.
[2] A. VAN HOVE, n. 92.

requiritur uti communiter docent AA. Imo iuxta CAPPELLO [3] haec *sola* sufficit; dicit enim: « Si cautiones dantur ficte, sed fictio est omnino occulta, valet dispensatio, dummodo dispensans habeat moralem certitudinem de adimpletione cautionum. Alii vero auctores, praeter moralem certitudinem in dispensante *insuper* requirunt intentionem adimplendi cautiones in partibus [4].

In casu nostro periculum obiectivum circumcisionis prolis fortasse non aderat sed certo neque in dispensante vel in executore aderat moralis certitudo, cum dispensans de hoc periculo minime cogitaverit. Estne dispensatio igitur invalida? Respondeo: de facto condicio apposita non est, quare dispensatio non potest dici invalida quia haec condicio impleta non est, est vero invalida, quia dispensans censeri debet non velle dispensare sine hac condicione, uti infra probabimus.

3) Invalida est dispensatio SI PRECES VERITATE NON NITUNTUR, ita can. 40. At non requiritur veritas perfecta, sufficit veritas quaedam imperfecta, de qua in can. 42.; quare exprimi debent, quae de stilo Curiae sunt ad validitatem exprimenda.

Unde quaestio nobis maximi momenti: ESTNE RELIGIO HEBRAICA EMMAE IN CASU, DE STILO CURIAE AD VALIDITATEM EXPRIMENDA.

Auctores, qui scribunt post Codicem plerumque breviter tantum absolvunt quaestionem magis generalem « Utrum in precibus pro dispensatione matrimoniali exprimenda sit religio partium ».

CAPPELLO [5] docet mentionem religionis partium probabiliter non requiri ad valorem, « quia clausula irritans in Codice deest ».

---

[3] F. M. CAPPELLO, *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis*, Vol. III, Pars I. De matrimonio. Ed. 4a. Romae 1939, n. 310 et 312.

[4] VAN HOVE, o. c. n. 141.

[5] CAPPELLO, o. c. n. 275.

GASPARRI[6] mentionem religionis partium indirecte tantum requirit, « hoc enim inservit ad determinandum competentiam S. Congregationis in concedenda dispensatione »;

DE SMET[7] dicit: « quae spectant oratorum *religionem,... per se* non sunt exprimenda *pro valore*, sed tantum *per accidens*, ratione causae invocatae ».

WERNZ-VIDAL, in ultima editione[8] iam nullam mentionem facit de religione exprimenda in libello supplici.

Nobis videtur esse distinguendum:

Si determinata quaedam religio est causa cur dispensatio detur sub condicionibus *essentialiter diversis* certo exprimi debet religio ad valorem dispensationis; nec sufficit dicere alteram partem esse acatholicam, sed requiritur ut indicetur ad quamnam religionem pertineat.

Si vero determinata aliqua religio nullomodo mutat dispensationem nec est causa cur apponantur speciales condiciones, sufficit ut indicetur alteram partem esse acatholicam.

Ita dispensatio in impedimento mixtae religionis pro omnibus acatholicis baptizatis EODEM MODO et sub eisdem condicionibus concedi solet, nec unquam in facultatibus vel formulis dispensationis distinctio fit inter haereticos et schismaticos, vel inter lutheranos et calvinistas; dispensatio vero in impedimento disparitatis cultus ad contrahendum cum infidelibus non semper eodem modo datur: in fere omnibus facultatibus dispensandi super hoc impedimento explicita mentio fit de casu quo pars infidelis est hebraea vel mahumetana.

---

6 P. Card. GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio*. Ed. nova ad mentem Codicis, Romae 1932 n. 345.

7 A. DE SMET, *Tractatus Theologico-canonicus de sponsalibus et Matrimonio*. Ed. 4a. Brugis 1927 n. 849.

8 F. X. WERNZ et P. VIDAL, *Ius Canonicum*, Tomus V. *Ius Matrimoniale* Ed. 3a a Ph. AGUIRRE recognita, Romae 1946, n. 440, enumerantur quaenam in supplicatione pro foro externo exprimenda sint, de religione partium vero sermo non fit.

Ita S. C. de Prop. Fide quando Ordinariis sibi subiectis dat facultatem dispensandi in impedimento disparitatis cultus in explicatione huius facultatis addit: « Si agatur vero de matrimoniis cum hebraeis vel mahumetanis peculiari ratione opportet ut ...

2. absit periculum ritualis circumcisionis prolis »[9].

Inter facultates quas S. C. S. Officii interdum Ordinariis concedit legitur:

« 2. Dispensandi ... super impedimento disparitatis cultus (excepto tamen casu matrimonii cum parte judaica aut mahumetana) »[10]. Eadem restrictio habetur in Folio facultatis pro dispensatione super cultus disparitate S. C. pro Eccl. Orient[11]. Nuperrime vero S. C. S. Officii ab hac praxi recedit: in modificatis facultatibus quas haec S. Congregatio concessit Ordinariis Statuum Federatorum Americae die 1 iulii 1946 dicitur:

« 3. Dispensandi,..... super impedimento disparitatis cultus (excepto tamen casu matrimonii cum parte mahumetana) »[12]. Non satis constat utrum haec extensio competentiae Ordinariorum facta sit ob rationes practicas, ne nimis saepe ad S. Sedem recurrendum esset, vel quia stilus Curiae in hoc puncto iam mitior factus est, ita ut hebraei aliis infidelibus iam prorsus aequipararentur. Praeplacet nobis prima ratio, quia in concedenda dispensatione ipsa S. C. S. Officii si agitur de matrimonio contrahendo cum hebraeo adhuc semper adhibet specialem formulam, uti infra videbimus. Quare, ni fallor, Ordinarii Americae, qui

---

[9] Facultates S. C. de Prop. Fide, in formula 2a et 3a maiori et minori. Inveniuntur ap. A. Vermeersch et J. Creusen, *Epitome Iuris Canonici*, Tomus I, Ed. 6a. Mechlinae-Romae 1937, p. 643, n. 21*. Similem facultatem, sub eisdem condicionibus tribuebatur Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis.

Cfr. Vermeersch-Creusen, o. c. I, p. 637 n. 30. Novae facultates S. C. de Prop. Fide diei 1 ian. 1941 eodem modo data sunt. Cfr. X. M. Paventi, Brevis commentarius in facultates S. C. de P. F., Romae 1944, p. 37.

[10] Vermeersch-Creusen, o. c. I, p. 656.

[11] Gasparri, o. c., Tomus II, Alleg. V, n. 58bis, p. 470.

[12] Citantur hae facultates in « The Jurist » VI 1946 p. 536.

vi huius facultatis dispensant ad contrahendum cum hebraeo, ad valorem dispensationis addere debent condicionem, quae excludit periculum circumcisionis prolis, quae adhuc de stilo Curiae requiritur, ideoque in precibus ad valorem dispensationis exprimi debet partem infidelem esse hebraeam, uti infra explicabimus.

Quidquid sit, haec mutatio pro casu nostro argumentum non infirmat: dispensatio enim data est ante multos annos, quare valor eius diiudicandus est iuxta stilum Curiae illius temporis, qui certo *semper* hebraeos non eodem modo tractabat ac ceteros infideles.

Pariter in formula, quae adhiberi solet pro ipsa dispensatione concedenda in impedimento disparitatis cultus speciales condiciones apponuntur pro casu quo pars infidelis est hebraea vel mahumetana. In formulis enim quibus S. C. S. Officii concedit dispensationem super impedimento mixtae religionis ad contrahendum cum schismatico, ad contrahendum cum haeretico, super impedimento disparitatis cultus ad contrahendum cum infideli, qui hebraeus aut mahumetanus non sit, condiciones appositae sunt eaedem:

« dummodo prius regulariter ad praescriptum Cod. I. C. can. 1061 § 2, cautum omnino sit condicionibus ab Ecclesia requisitis, et R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri,... » Pro concessione vero dispensationis super impedimento disparitatis cultus ad contrahendum cum hebraeo vel mahumetano, S. C. S. Officii aliam adhibet formulam, in qua formula Ordinario conceditur facultas dispensandi, « dummodo absit periculum polygamiae, circumcisionis prolis » ...[13].

Quia adhibetur particula « dummodo » condicio haec iuxta can. 39 ad valorem dispensationis requiritur.

Ex dictis vero sequitur mentionem religionis, si religio est religio iudaica vel mahumetana in precibus certo

---

13 Hae formulae inveniri possunt ap. GASPARRI, o. c., Tomus II, Alleg. V, nn. 14, 15, 16, pp. 438 sqq..

requiri ad valorem dispensationis: stilus Curiae enim in *concedenda* dispensatione tali clare docet nos quaenam exprimi debeant in *petenda* hac dispensatione. S. C. S. Officium non vult concedere dispensationem ad contrahendum cum hebraeo vel mahumetano nisi sub specialibus condicionibus, quare necesse est ut sciat quandonam de tali matrimonio agatur; si enim impune omitti posset mentio religionis restrictiones in concedenda hac dispensatione et condiciones ad valorem appositae in concessione nullum haberent sensum.

4) Exprimi debet SPECIES INFIMA impedimenti et quidem ad valorem dispensationis. Ita dispensatio concessa pro impedimento consanguinitatis non valet pro impedimento affinitatis, pariter dispensatio concessa pro impedimento mixtae religionis non valet pro impedimento disparitatis cultus.

Quaeri potest utrum in casu species infima impedimenti sufficienter expressa fuerit, et quidem duplici quaestioni responderi debet. a) Estne impedimentum disparitatis cultus species ultima, vel dantur duae species: altera species, si agitur de matrimonio contrahendo cum infideli, qui hebraeus vel mahumetanus non est, altera species, si agitur de matrimonio contrahendo cum hebraeo vel mahumetano? Respondeo: cum in Codice, ubi ipsum impedimentum statuitur nulla fit distinctio una est tantum species huius impedimenti.

b) Estne impedimentum dubium eiusdem generis ac impedimentum certum, seu a. v. estne dispensatio data « ad cautelam » valida, si impedimentum *certo* adest?

GASPARRI [14] putat dispensationem esse validam: nam « impedimentum dubium forte existit, et forte non existit; dispensatio autem evidenter data est, quatenus impedimentum existit, et tacitam secumfert condicionem: *Si impedimentum adest* ».

---

[14] GASPARRI, o. c., Tomus I, n. 339, nota 2.

Alii vero AA. praeeunte SANCHEZ[15] dispensationem invalidam habent: « quia est error in substantia rei. Pontifex enim non dispensat in voto [impedimento] certo, sed in voto [impedimento] dubio. Sicut non valeret remissio debiti obtenta, allegata vera paupertate at falsa debiti dubitatione ».

Neutra ratio nobis videtur peremptoria, quare si res speculative tantum consideratur manet dubia. Si vero inspicimus ipsum modum loquendi S. C. S. Officii ad sententiam quae negat validitatem dispensationis inclinamus; ipsa enim S. C. S. Officii aliquomodo explicat quid sibi velint verba « ad cautelam ». In Folio A. quod continet « Facultates matrimoniales S. C. S. Officii » sub numero 1 conceditur Ordinariis facultatem « Dispensandi .... super impedimento mixtae religionis, et si casus ferat, etiam super disparitate cultus, ad cautelam, quoties prudens dubium oriatur de collatione baptismi partis acatholicae »[16]. Vi huius facultatis Ordinarius dispensare potest tantum si adest dubium, si dispensaret in casu quo impedimentum disparitatis cultus esset certum, dispensatio esset invalida. At bene notandum est: si postea dubium evanescit et apparet partem acatholicam certo non fuisse baptizatam, dispensatio tamen valida est, quare nihil interest utrum baptismus *obiective* validus fuerit vel non, sed requiritur et sufficit ut *orator* et *concedens* dispensationem de validitate baptismi dubitent, nec obstat validitati dispensationis si tertius certo scit baptismum non esse collatum vel esse invalidum.

In casu proposito Emma certo baptizata non erat, ipsa hoc sciebat, Caius vero, qui petiit dispensationem et Ordinarius crediderunt Emmam esse revera calvinistam, eamque dubie baptizatam, unde omnia quae requiruntur ut dispensatio « ad cautelam » valida sit in casu certo aderant,

---

15 Th. SANCHEZ, *De Sancto Matrimonii Sacramento Disputationem*, Viterbii 1727, Lib. VIII, disp. XXI, n. 40.
16 VERMEERSCH-CREUSEN, o. c. I, p. 655 n. 1.

si igitur Emma esset simpliciter infidelis de valore dispensationis iam non dubitaremus; dispensatio vero invalida est quia erat hebraea, uti supra vidimus.

His omnibus sapienter, prudenter ac peramanter ordinatis. amplissime provisum fuerat animarum multitudini, quae relicto saeculo amplecti cuperent novum statum canonicum stricte dictum, perfectioni adquirendae unice atque ex integro consecratum. Verum benignissimus Dominus, qui absque personarum acceptione [10], omnes fideles semel iterumque ad perfectionem ubique sequendam et exercendam invitavit [11], mirabili Divinae suae Providentiae consilio disposuit ut etiam in saeculo, tot vitiis depravato, nostris praecipue temporibus, plures floruerint ac floreant animarum selectarum copiae quae, nedum perfectionis individualis studio aestuent, sed peculiari Dei vocatione in mundo manentes, optimas novas invenire possint Consociationum formas, temporum necessitatibus apprime respondentes, in quibus vitam ducere queant adquirendae christianae perfectioni admodum consentaneam.

Spiritualium Moderatorum prudentiae ac studio ex animo commendantes, singulorum nobiles perfectionis conatus, in foro interno, de Associationibus nunc solliciti sumus quae coram Ecclesia in foro, uti dicitur, externo ad vitam solidae perfectionis proprios sodales quasi manu ducere satagunt atque nituntur. Non tamen de omnibus

---

[10] 2 *Par.* XIX, 7; *Rom.* II, 11; *Eph.* VI, 9; *Col.* III, 25.
[11] Mt. V, 48; XIX, 12; *Col.* IV, 12; Iac. I, 4.

Consociationibus hic quaestio est, quae in saeculo perfectionem christianam sincero corde sectantur, sed iis tantum, quae in interna constitutione, in hierarchica regiminis ordinatione, in plena nullisque aliis vinculis limitata deditione, quam a membris proprie dictis requirunt, in consiliorum evangelicorum professione, in ratione denique ministeria et apostolatum exercendi, propius quoad substantiam accedunt ad status canonicos perfectionis, ac speciatim ad Societates absque votis publicis (tit. XVII), quamvis non vita communi religiosa, sed aliis externis formis utantur.

Hae Consociationes, quae inde « Institutorum saecularium » nomine venient, non sine speciali Divinae Providentiae afflatu, primo elapsi saeculi dimidio condi ceperunt, ut fideliter « consilia evangelica in saeculo sequerentur et caritatis officia maiore libertate obirent, a quibus per temporum nequitiam exercendis, religiosae familiae aut paene aut omnino prohibeantur »[12]. Cum antiquiora eiusmodi Instituta bonum de se specimen dederint, et operibus factisque satis semperque magis comprobarent per severam prudentemque suorum sodalium selectionem, per accuratam satisque longam eorum formationem, per adaequatam, firmam simul et agilem vitae ordinationem, etiam in saeculo peculiari Dei vocatione favente, divinaeque gratiae auxilio, obtineri certo posse satis strictam atque efficacem suipsius, non internam tantum sed externam et fere religiosam, Domino consecrationem, et instrumentum valde opportunum penetrationis et apostolatus haberi, hac multiplici de causa « istae fidelium Societates, non secus ac verae religiosae Congregationes a Sancta Sede laudatae » non semel fuerunt[13].

Ex felici horum Institutorum incremento in dies clarius apparuit quam multiplici respectu eadem in efficax

---

12 S. C. Episcoporum et Regularium dec. *Ecclesia Catholica*, d. 11 augusti 1889: cfr. *ASS*, XXIII, 634.

13 Ibid.

Ecclesiae et animarum subsidium verti possent. Ad vitam perfectionis semper et ubique serio ducendam; ad ipsam etiam in pluribus casibus amplectendam in quibus vita religiosa canonica possibilis vel conveniens non erat; ad impensam familiarum, professionum ac civilis societatis christianam renovationem per contactum intrinsecum et quotidianum cum vita perfecte et omnino sanctificationi consecrata; ad multiformem apostolatum et ad ministeria exercenda locis, temporibus et rerum adiunctis sacerdotibus religiosisque vetitis, vel imperviis, haec Instituta adhiberi et converti facile possunt. Ex adverso, experientiâ comprobatum est difficultates ac pericula non defuisse, quae haec perfectionis vita libere ducta, et absque externo religiosae vestis subsidio, communisque conviventiae auxilio, absque vigilantia Ordinariorum, a quibus reipsa facile ignorari poterat, Superiorumque, qui non raro longe aberant, interdum, immo et faciliter secum ferebat. Disputari etiam coeptum fuit de natura iuridica horum Institutorum, et de Sanctae Sedis mente in illis approbandis. Heic opportunum ducimus mentionem facere illius Decreti « Ecclesia Catholica », quod Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium edidit, et die XI mensis Augusti a. MDCCCLXXXIX a Decessore Nostro im. mem. Leone XIII confirmatum fuit[14]. In ipso non vetabatur horum Institutorum laudatio et approbatio, edicebatur tamen Sacram Congregationem, quando haec Instituta laudabat vel approbabat, ea voluisse laudare et approbare, non quidem ut Religiones votorum solemnium, aut veras religiosas Congregationes votorum simplicium, sed tantum ut pias sodalitates, in quibus, praeter alia, quae iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, religiosa professio proprie dicta non emittitur, sed vota, si quae fiant, privata censentur, non publica, quae nomine Ecclesiae a legitimo Superiore acceptantur. Haec insuper sodalitia — ita

[14] Ibid.

addebat Sacra eadem Congregatio —, sub hac essentiali conditione laudantur vel approbantur, quod plene perfecteque Ordinariis innotescant cuiusque suis, ac eorum omnino subsint iurisdictioni. Haec Sacrae Congregationis Episcoporum ac Regularium praescripta ac declarationes, ad effingendam naturam horum Institutorum opportune contulerunt, eorumque evolutionem atque progressum ordinaverunt quin tamen impedirent.

Nostro hoc saeculo Instituta saecularia multiplicata silenter sunt, pluresque, satis inter se diversas, formas sive autonomas, sive diversimode Religionibus Societatibusve unitas induerunt. De ipsis nihil cavit Apostolica Constitutio « Conditae a Christo », quae tantum de Congregationibus religiosis fuit sollicita. Codex etiam Iuris Canonici consulto de his Institutis siluit, et quae pro ipsis essent constituenda, cum adhuc matura non viderentur, reliquit futurae legislationi.

Haec omnia Nobiscum, pro conscientiae Nostrae officio, et pro paterna illa dilectione qua erga animas ferimur, quae in saeculo tam generose sanctitatem sectantur, semel iterumque considerantes; itemque eo consilio ducti ut sapiens nempe ac severa fieri valeat Societatum discriminatio, illaque tantum ut vera Instituta agnoscantur, quae plenam perfectionis vitam authentice profiteantur; ut pericula vitentur erectionis novorum semper Institutorum — quae non raro imprudenter atque inconsulto conduntur —; ut illa autem Instituta, quae approbationem mereantur, talem obtineat peculiarem iuridicam ordinationem, quae eorum naturae finibus, adiunctis apte pleneque respondeant, id ipsum pro Institutis saecularibus perficere cogitavimus ac decrevimus, quod im. mem. Decessor Noster Leo XIII pro Congregationibus votorum simplicium per Apostolicam Constitutionem « Conditae a Christo » tam prudenter atque sapienter praestitit. Igitur statutum generale Institutorum saecularium, quod a Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii ad competentiam suam quod

spectat, examinatum diligenter fuerat et a Sacra Congregatione de Religiosis accurate, iussu ductuque Nostro, ordinatum ac expolitum fuit, per praesentes has Litteras approbamus; atque ea omnia, quae sequuntur, Apostolica auctoritate Nostra declaramus, decernimus ac constituimus.

Hisce autem ut supra constitutis, ad ea omnia exsecutioni mandanda Sacram Congregationem de Religiosis deputamus, cum omnibus facultatibus necessariis atque opportunis.

Lex peculiaris Institutorum saecularium

Art. I

Societates, clericales vel laicales, quarum membra, christianae perfectionis adquirendae atque apostolatum plene exercendi causa, in saeculo consilia evangelica profitentur, ut ab aliis fidelium communibus Associationibus (Pars Tertia, Lib. II, C. I. C.) apte distinguantur, Institutorum seu Institutorum saecularium proprio nomine veniunt, atque huius Constitutionis Apostolicae normis subiiciuntur.

Art. II

§ 1. Instituta saecularia, cum nec tria publica religionis vota (cc. 1308 § 1 et 488, 1º) admittant, nec communem vitam seu commorationem sub eodem tecto suis membris, ad normam canonum, imponant (cc. 487 sqq. et 673 sqq.):

1º Iure, ex regula, nec sunt nec proprie loquendo dici queunt Religiones (cc. 487 et 488, 1º) vel Societates vitae communis (c. 673 § 1);

2º Religionum aut Societatum vitae communis proprio peculiarique iure non obligantur, neque ipso uti possunt, nisi quatenus aliquod huius iuris praescriptum, illius praecipue quo Societates absque votis publicis utuntur le-

gitime ipsis, per exceptionem, accommodatum fuerit atque applicatum.

§ 2. Instituta, salvis communibus iuris canonici normis quae ipsa respiciant, tamquam proprio iure, peculiari eorum naturae et conditioni arctius respondenti, his praescriptis reguntur:

1° Generalibus huius Constitutionis Apostolicae normis, quae omnium Institutorum saecularium veluti proprium statutum constituunt;

2° Normis quas Sacra Congregatio de Religiosis, prout necessitas ferat atque experientia suffragetur, sive Constitutionem Apostolicam interpretando sive ipsam perficiendo atque applicando pro omnibus vel pro aliquibus ex his Institutis edere censuerit;

3° Particularibus Constitutionibus, ad normam Articulorum qui sequuntur (Art. V-VIII), approbatis, quae generales iuris atque peculiares supra descriptas normas (nn. 1° et 2°), singulorum Institutorum finibus, necessitatibus, adiunctis, non parum inter se diversis, prudenter accommodent.

Art. III

§ 1. Ut aliqua pia fidelium Consociatio, ad normam Articulorum qui sequuntur, erectionem in Institutum saeculare consequi valeat, haec (§§ 2-4), praeter alia communia, habeat necesse est requisita:

§ 2. Quoad vitae consecrationem et christianae perfectionis professionem.

Sodales, qui ut membra strictiore sensu sumpta, Institutis adscribi cupiunt, praeter illa pietatis et abnegationis exercitia, quibus omnes, qui ad perfectionem vitae christianae adspirant, incumbant necesse est, ad ipsam peculiaribus etiam rationibus, quae hic recensentur, efficaciter tendere debent:

1° Professione nempe coram Deo facta coelibatus et castitatis perfectae, quae voto, iuramento, consecratio-

ne in conscientia obliganti, ad normam Constitutionum, firmetur;

2° Obedientiae voto vel promissione, ita ut stabili vinculo ligati totos Deo et caritatis seu apostolatus operibus se dedicent, et in omnibus sub manu et ductu semper moraliter sint Superiorum, ad normam Constitutionum;

3° Paupertatis voto vel promissione, vi cuius bonorum temporalium usum non liberum habeant, sed definitum ac limitatum, ad normam Constitutionum.

§ 3. Quoad incorporationem Sodalium Instituto proprio et quoad vinculum ex ipsa ortum.

Vinculum quo Institutum saeculare et ipsius membra, proprie dicta, inter se coniungi oportet, debet esse:

1° Stabile, ad normam Constitutionum, sive perpetuum sive temporarium, elapso tempore renovandum (c. 488, 1°);

2° Mutuum ac plenum, ita ut, ad normam Constitutionum, Sodalis se totum Instituto tradat, et Institutum de Sodali curam gerat atque respondeat.

§ 4. Quoad communes Institutorum saecularium sedes ac domos.

Instituta saecularia, etsi communem vitam seu commorationem sub eodem tecto suis membris ad normam iuris non imponant (Art. II, § 1), tamen pro necessitate, vel utilitate unam vel plures communes domos habere oportet, ni quibus:

1° Residere valeant qui Instituti regimen, supremum praecipue vel regionale, exercent;

2° Commorari vel ad quas convenire queant Sodales, ad institutionem accipiendam et complendam, ad exercitia spiritualia peragenda et ad alia huiusmodi;

3° Recipi possint Sodales, qui ob infirmam valetudinem, vel ob alia rerum adiuncta sibi providere non valeant, vel quibus non expediat, ut apud se vel apud alios ipsi privatim remaneant.

Art. IV

§ 1. Instituta saecularia (Art. I) a Sacra Congregatione de Religiosis dependent, salvis iuribus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, ad normam c. 252 § 3, quoad Societates et Seminaria Missionibus destinata.

§ 2. Consociationes, quae rationem non habent seu plene finem non profitentur in Art. I descriptum, illaeque etiam, quae aliquo ex elementis carent in Art. I et III huius Constitutionis Apostolicae recensitis, iure reguntur Associationum fidelium, de quibus in cc. 684 sqq. et a Sacra Congregatione Concilii dependent, salvo praescripto c. 252 § 3, quoad territoria Missionum.

Art. V

§ 1. Instituta saecularia Episcopi, non autem Vicarii Capitulares vel Generales condere et in personam moralem, ad normam c. 100 §§ 1 et 2, erigere possunt.

§ 2. Ea tamen Instituta Episcopi ne condant neque condi sinant, inconsulta Sacra Congregatione de Religiosis, ad normam c. 492 § 1 et Art., qui sequitur.

Art. VI

§ 1. Ut Episcopis, de erectione Institutorum ad normam Art. V § 2 in antecessum consulentibus, Sacra Congregatio de Religiosis licentiam concedat eadem erigendi, de iis, congrua congruis ipsius iudicio referendo, edoceri debet, quae pro erectione Congregationis Societatisve vitae communis iuris dioecesani in Normis ab eadem Sacra Congregatione impertitis definiuntur (nn. 3-5) atque de aliis quae ex stilo et praxi eiusdem Sacrae Congregationis inducta sunt, vel in posterum inducentur.

§ 2. Obtenta ab Episcopis Sacrae Congregationis de Religiosis licentia, nihil obstabit quominus, ipsi iure proprio uti libere possint et erectionem peragere. De erectione

peracta officiale nuntium eidem Sacrae Congregationi Episcopi mittere ne omittant.

Art. VII

§ 1. Instituta saecularia, quae approbationem vel laudis decretum a Sancta Sede consequuta fuerint, iuris pontificii efficiuntur (cc. 488, 3°; 673 § 2).

§ 2. Ut Instituta saecularia iuris dioecesani laudis vel approbationis decretum consequi valeant, illa generatim, congrua congruis Sacrae Congregationis de Religiosis iudicio referendo, requiruntur quae ex Normis (nn. 6 sqq.) et ex eiusdem Sacrae Congregationis stilo ac praxi pro Congregationibus et Societatibus vitae communis praescripta et definita sunt, vel in posterum definientur.

§ 3. Ad horum Institutorum eorumque Constitutionum primam, ulteriorem, si casus ferat, ac definitivam approbationem ita procedatur:

1° Causae, de more paratae et unius saltem Consultoris voto ac dissertatione illustratae, in Consultorum Commissione, sub ductu Exc.mi eiusdem Sacrae Congregationis Secretarii aliusve ipsius vices gerentis, prima fiet disceptatio;

2° Inde res tota, praeside E.mo Sacrae Congregationis Cardinali Praefecto, atque invitatis ad causam diligentius excutiendam, prout necessitas seu utilitas suggerat, peritis seu peritioribus Consultoribus, pleni Sacrae Congregationis Congressus examini ac decisioni subiiciatur;

3° Congressus resolutio ab E.mo Cardinali Praefecto vel ab Exc.mo Secretario Audienda Ss.mo Domino referenda Ipsiusque supremo iudicio submittenda erit.

Art. VIII

Instituta saecularia, praeterquam propriis, si quae adsint vel in posterum ferentur legibus, ad normam iuris

pro non exemptis Congregationibus et Societatibus vitae communis vigentis, Ordinariis locorum subiecta sunt.

Art. IX

Regimen internum Institutorum saecularium hierarchice ad instar regiminis Religionum et Societatum vitae communis, congrua congruis eiusdem Sacrae Congregationis iudicio referendo, pro ipsorum Institutorum natura, finibus, et adiunctis ordinari potest.

Art. X.

Quoad iura et obligationes Institutorum, quae condita iam sunt et ab Episcopis, consulta Sancta Sede, vel ab ipsa Sancta Sede fuerunt approbata, hac Constitutione Apostolica nihil immutatur.

Haec edicimus, declaramus ac sancimus, decernentes pariter Apostolicam hanc Constitutionem firmam, validam et efficacem semper esse ac fore, suosque plenos et integros effectus sortiri atque obtinere, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis. Nulli igitur hominum liceat hanc Constitutionem a Nobis promulgatam infringere, vel eidem temerario ausu contraire.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die II Februarii, Purificationi Beatae Virginis Mariae sacra, anno MDCCCCXXXXVII, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XII

Annotationes

I. *De ipsa Constitutione*[1]

Vix dubitandum est quin Constitutio « Provida Mater Ecclesia » pro suo obiecto et momento, ampla commentaria provocatura sit. Nunc magis essentialibus explicationibus contenti erimus.

In exordio Constitutionis, S. Pontifex praedilectionem quam Ecclesia professioni consiliorum evangelicorum semper nutrivit denuo sollemniter asserit. Dein recolit primam professionis vitae perfectae evolutionem et modum quo ab Ecclesia pedetemptim tota vitae religiosae disciplina constituta fuerit. In Codice i. c. redigendo voluit Sancta Sedes statui perfectionis satis plene aequiparare illas Societates quae, sine publicis votis, at cum vita in communi vitam religiosam satis proxime imitantur (alin. 6). Sed respondentes invitationi Christi non pauci fideles, in saeculo ob varias causas remanentes, ad christianam vitae perfectionem et apostolatum in variis societatibus nitebantur, quae in suo regimine et vitae tenore ad canonicos perfectionis status satis accedunt. De his sollicite agendum esse S. Sedes censuit (8).

Earum societatum auctus numerus, fructus sanctitatis et apostolatus, sed pericula quoque ex ipso vitae tenore timenda, post prudentem experientiam suaserunt ut tandem de his « Institutis saecularibus » leges quaedam et normae canonicae darentur (nn. 9-11) quae in lege peculiari huic Constitutioni adnexa inveniuntur (n. 12). Harum autem exsecutio S. Congregationi de Religiosis committitur (n. 13).

1. Provida Mater Ecclesia a primis usque saeculis sol-

[1] Numeri paragraphorum nostri sunt. Sequuntur divisionem textus prout in *Osservat. Romano*, d. 14 martii 1947, editur.

licita fuit de ordinanda vitae ratione fidelium qui perfectionem evangelicam profitebantur.

2. Ac primo sedulo docuit qua ratione vita perfecta ducenda esset. Dein prima vitae perfectionis conamina fovit et adiuvit, ita ut fideles qui se Christo toti devoverent sat cito in Ecclesia specialem classem constituerent.

3. Disciplinam illius status numquam perficere desiit usque ad formam quam in Codice i. c. habet. Etsi omnem publicam perfectionis vitae professionem semper agnovit et protexit, eius tamen favor praecipuus illos fideles prosecutus est qui in vita communi, sc. in societatibus ab ipsa approbatis, ad illum finem vovendo tria consilia evangelica contenderent.

4. Historia sanctitatis et apostolatus in Ecclesia cum historia status religiosi intime connectitur. Quare Ecclesia aedificium suae disciplinae supra illud fundamentum, quasi super angularem petram aedificavit. Dum alii status canonici (clerici, laici) ex ipsa divina ecclesiae ordinatione fluunt, ipsa statum religiosum, tamquam tertium, unice ratione relationis cum ipso fine Ecclesiae, i. e. sanctificatione fidelium, constituit.

5. Immo Ecclesia modo semper magis rigoroso canonicum perfectionis statum in solis religionibus agnoscere voluit eiusque disciplinam semper pressius determinavit. Adeo ut in religionibus quae clericalem religiosorum vitam respiciunt, adscriptio Religioni, quae per professionem perpetuam fit, loco sit incardinationis in dioecesi.

6. Cum tota status perfectionis ratio iam canonice absoluta videretur, tamen illi satis plene aequiparare voluit Societates quae vitam religiosam in essentialibus elementis et quidem in vita communi imitantur.

7. Sed Deus qui omnes ad perfectionem vitae christianae invitat, disposuit ut multi fideles, qui vocatione speciali in mundo vivere pergunt, novas associationum formas invenerint in quibus ad perfectionem propriam et aposto-

latum exercendum modo nostris temporibus apto contenderent.

8. Agitur hic de illis consociationibues quae coram Ecclesia, quantum possibile est sine vita communi, ad praecedentes status perfectionis canonicos accedere volunt, eorum elementa essentialia assumendo.

9. Tales societates iam a tempore satis diuturno bonum de se specimen dederunt: quare iam antea haud semel ab Apostolica Sede fuerunt laudatae.

10. Felix illarum societatum incrementum et fructus earum apostolatus ostenderunt quantum ad perfectionem vitae christianae et ad formas apostolatus quae religiosis imperviae sunt contribuere possent. Sed experientia quoque monstravit non carere periculis illam liberiorem vitae perfectionis formam. Praeterea de iuridica earum natura disceptari coeptum est.

Tamen Sancta Sedes, eas laudando vel approbando, a religionibus proprie dictis omnino distinguebat (S. C. EE. et RR., 11 aug. 1889) [1].

11. Etsi nostro saeculo multiplicarentur, tamen de eis in Const. Leonis XIII. Conditae a Christo non visum est quidquam decernere.

12. Nunc S. Pontifex aestimavit opportunum ut Sancta Sedes societatibus, quae id modo vivendi et agendi merentur, legem daret ita ut illa « Instituta saecularia » exsistentiam canonicam obtineant. Quare promulgatur lex quam praeparaverunt, pro suae competentiae parte, S. Officium et S. Congregatio de Religiosis.

13. Exsecutio autem legis S. Congregationi de Religiosis committitur.

II. *De lege peculiari.*

Art. 1. Quaestio de *nomine* harum Societatum haud ita facile solvi poterat. Plura verba quae ipsas satis designas-

[1] Cfr. VERMEERSCH, *De religiosis*, II, 4a ed., p. 57.

sent iam in Codice definitam significationem habebant. Notandum est societates de quibus Codex in c. 673, ss. agit nullum iuridicum nomen habere, sed longiori phrasi designantur. In hoc documento simplicius « Societates vitae communis » vocantur. Vitanda erat appellatio quae novas societates religionibus assimilassent. In pluribus linguis modernis vox « *Institutum religiosum* » verbo « Religioni » Codicis respondet. Quare si verbo: *Institutum*, satis generali, verbum « *saeculare* » addideris, satis clare genus et speciem harum societatum tradideris.

Ab aliquot annis multi clerici a voce « clerus saecularis » satis abhorrent, quia opposita voci « clerus regularis » videtur innuere clericos diocesanos libertate quadam mundana frui. Codex autem illud incommodum non timuit (cfr. can. 979; 982 § 3; 1411, etc.) In verbo « *Institutum saeculare* » vox « *saeculare* » clare indicat agi de personis quae in *saeculo*, i. e. non in domibus communibus, ab aliis personis saecularibus seiunctae, vivunt. Nam a mente legislatoris procul abest cogitatio agi de personis quae principiis mundi imbutae, mundanis moribus vivunt. Discrimen est ingens inter « saecularem » et « mundanum ».

Art. 2. Nemo non mirabitur quanta prudentia normae quibus Instituta saecularia regenda sint determinentur. Praeter paucas quae in hac lege pontificia statuuntur et paulatim a S. C. de Religiosis compleri poterunt, solis iuris communis principiis et suis Constitutionibus regentur. Sic maxima libertas relinquitur eas normas seligendi quae naturae et apostolatui Institutorum saecularium melius aptantur. Quales autem sint experientia iam docuit vel ostendet.

Ut quaedam exempla demus: duratio novitiatus non determinatur neque votorum vel promissionum vel iuramenti quae probationem sequuntur; votorum, si qua fiant, effectus, (si excipias castitatem) erunt in Constitutionibus pressius definiendi; leges de clausura, etiam partiali, Instituta illa non afficiunt; de plerisque obligationibus clerico-

rum ad membra Institutorum extendendis sermo fieri nequit, etc.

Art. III. 1° Supponitur in Institutis saecularibus posse esse membra « strictiore sensu sumpta », ergo etiam largiore sensu sumpta. Hoc respondet propensioni quam exhibent non paucae religiones vel Societates imitantes vitam religiosam sibi uniendi pios christianos qui, pro maiore vel minore libertate et mediis materialibus quibus pollent, eas in suo apostolatu adiuvent. Praeterea illa membra « largiore sensu sumpta » variis modis gratias et auxilia spiritualia quibus gaudet Religio vel Societas, participant.

2° Sancta Sedes non agnoscet tamquam Instituta saecularia nisi ea quorum membra se *totaliter* et modo *stabili* Deo in Instituto observatione trium consiliorum evangelicorum consecrare velint. Cum in variis locis serpat ille error qui praxim consiliorum et totalem Deo consecrationem minoris faciat, operae pretium est videre quanti Sancta Sedes, revelationis christianae interpres, illam consecrationis formam aestimet.

Ut Societas fidelium specialem Sanctae Sedis approbationem obtineat quae eam tamquam Institutum saeculare agnoscit, debent eius membra strictiore sensu sumpta profiteri castitatem perfectam, quae matrimonium excludit, veram dependentiam a Superioribus Instituti sive in omni vitae actione sive in usu suorum bonorum. Neque promissione contenti esse possunt quae firmo tantum proposito aequivaleat, sed professio illa castitatis, oboedientiae et paupertatis saltem consecratione quae in conscientia, i. e. sub peccato obliget, facienda est. Neque potest quis in Institutum ingredi cum praevia intentione in ipso per tempus tantum determinatum remanendi, sed actus consecrationis (vota, iuramentum, promissio), si temporarius sit, ea intentione ponitur ut, elapso tempore, renovetur.

3° Quae dicuntur de necessitate habendi saltem unam

domum communem etiam experientia confirmantur. Vix enim reperies huiusmodi Societatem quae non curaverit ut in domo communi membra vel exercitari ad perfectionem vel mediis destituta admitti aut Superiores maiores liberius regimini Societatis vacare possint.

Art. IV. Cum Instituta saecularia ad perfectionem facilius assequendam praecipua media adhibeant quae in statu religioso a tot saeculis in usu sunt, pronum est ut S. Congregationi de Religiosis committantur. Id eo opportunius fit quo magis tendunt huiusmodi Societates ad imitandam vitam religiosam intra limites sibi a vita in saeculo permissos. Iam vero S. Congregatio de Religiosis in hac materia experientia et familiaritate pollet quae alius Congregationis non ita propria est.

Si qua Societas a S. Sede tamquam Institutum saeculare non agnoscitur, regitur normis de piis fidelium associationibus (c. 684 ss.). Notabile consectarium est eam esse eo sensu stricte dioecesanam ut sedes in diversis dioecesibus stabilire nequeat, quae a Superiore quodam generali dependeant. Omnes enim piae associationes sunt, e sua constitutione, essentialiter locales. In diversis regionibus habent eandem naturam, eundem finem, eadem media, easdem gratias, sed singuli coetus inter se sunt omnino independentes.

Art. V. Ad condendum Institutum saeculare Ordinarius a S. Congregatione de Religiosis (vel de Prop. Fide) « nihil obstat » petere debet.

Art. VI. Ut obtineatur illud « Nihil obstat », debet Ordinarius circiter eas informationes dare quae pro condenda Congregatione religiosa requiruntur sc. a) Nomen, cognomen, conditio, dotes fundatoris; b) Finis Instituti; c) eius titulus; d) Opera specialia quibus se consecrare intendit; c) quaenam Instituta similia forte in dioecesi exsistant.

Plerumque nihil de *habitu* dicendum erit, cum membra illorum Institutorum generatim nullum specialem habitum gerant. — De opibus non est cur multa dicantur; suis enim sumptibus membra vivunt. Dicendum tamen erit num domum communem novum Institutum habeat vel mox habiturum sit. Addatur quisnam sit numerus personarum quae iam Institutum ingredi velint et quonam successu iam forte sub alio regimine operatae sint.

Art. VII. Pro gradu approbationis, Instituta erunt iuris dioecesani vel pontificii, ut Societates vitae communis.

Notatu dignum est id quod de processu approbationis pontificiae dicitur. Ni fallimur, negotium ad Plenariam Cardinalium Congregationem non deferetur.

Primo scribetur unum alterumve Votum a quodam Consultore. Dein de re fiet disceptatio in Consultorum Commissione. Postea de negotio agetur in Congressu, in quo partem habebunt selecti quidam Consultores. Congressus ipse, ut omnes sciunt, constat Cardinali Praefecto, Secretario et Subsecretario cum aliquo Notario. Resolutio pleni Congressus directe ad Summum Pontificem deferetur. Ut videre est, in hac expediendi negotia methodo, maxima ratio habetur scientiae et experientiae eorum qui ad dandam casus solutionem designantur.

Art. VIII. Instituta saecularia, ut patet, privilegio exemptionis non gaudent. Immo poterit fieri ut ab Ordinario loci magis quam Congregationes religiosae pendeant.

Art. IX. Sed *internum regimen* illud Congregationum et Societatum vitae communis imitabitur ideoque Superiores, ad normam Constitutionum vel Statutorum, vera quadam libertate in regendo Instituto gaudebunt.

Art. X. Iam plures Societates in quibus membra ad perfectionem christianam observatione trium Consiliorum

evangelicorum tendunt ita ut pleraque vel fere omnia in saeculo degant a Sancta Sede vel ab Ordinariis locorum approbationem obtinuerunt. Immo posset citari saltem una cui privilegium concessum est ut tamquam Congregatio religiosa agnoscatur et ab omnibus praescriptis de vita religiosa eximatur, quibus in suo vitae et apostolatus genere impediri posset.

S. Pontifex condicionem iuridicam illarum Societatum hac Constitutione immutatam esse voluit.

Videretur S. Congregatio de Religiosis « Instituta saecularia » brevi negotio definire et approbare posse. Sed vita rem magis complexam forte iam fecit. Sic inter Societates quae mox approbationem postulabunt, invenitur una cuius membra strictiore sensu non pauca in domibus communibus habitant, non pauca quoque eiusdem gradus in suis familiis degunt. Quare medium regimen habemus inter Societates vitae communis et Instituta saecularia.

Sub quanam ratione approbanda sit decretum S. Congregationis ostendet. Non est dubium quin proxime multae Societates tamquam Instituta saecularia agnosci velint; iam ante viginti circiter annos, in sola Europa saltem viginti vel viginti quinque talem vitam ducebant.

I. Creusen S. I.

7 - SS. D. N. Pius Pp. XII

LITTERAE ENCYCLICAE

(*AAS* XXXIX [15 apr. 1947] p. 137)

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DECIMOQUARTO EXACTO SAECULO A PIENTISSIMO S. BENEDICTI OBITU.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Fulgens radiatur, quasi in noctis caligine sidus, Benedictus a Nursia, Italiae non modo, sed totius etiam Ecclesiae decus. Cuius qui vitam inclitam suspexerit, ac tetricam illam, qua vixit, tempestatem ad historiae fidem exploraverit, is procul dubio divinae sententiae veritatem sentiet, qua Christus Apostolis et ab se conditae societati spopondit: « ... Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi ».[1] Quae quidem sententia ac pollicitatio vim suam nullo tempore pro certo amittit, sed ad omnem saeculorum respicit cursum, qui divino nutu dirigitur. Quin immo, cum acriores in christianum nomen hostes ingruunt, cum asperioribus fluctibus fatidica Petri navis iactatur, cum omnia denique labare videntur nec ulla humanae opis spes affulget, tum sponsor, solator supernaeque virtutis altor adest Christus, qui novos idcirco excitat athletas suos, ut rem catholicam tueantur, in pristinum restituant, eidemque auctiora usque incrementa, caelesti aspirante suffraganteque gratia, impertiant.

---

[1] Matth., XXVII, 20.

Horum in numero Noster praeclara luce renidet et « gratia Benedictus et nomine »[2] qui providentis Dei consilio e tenebricoso saeculo emersit, cum Ecclesiae non modo, sed civilis etiam humanique cultus status ac fortuna summo discrimine periclitabatur. Romanum Imperium, quod ad tantae gloriae apicem pervenerat, ac tot populos, gentes nationesque sapienti iuris temperatione aequitateque ita sibi coagmentaverat, ut « patrocinium orbis terrae, verius quam imperium potuisset nominari »,[3] iam, ut terrenae res omnes, ad occasum declinaverat; quandoquidem intus debilitatum ac corruptum, foris autem barbarorum incursionibus, a septemptrionibus irruentium, diffractum, immani ruina sua in occidentalibus regionibus obrutum erat. Hac in tam saeva procella tantaque rerum iactura, undenam civili hominum consortioni spes illuxit, undenam eidem auxilium ac tutamen est ortum, quo veluti ex naufragio posset se suarumque rerum reliquias saltem incolumes servare? Ex catholica profecto Ecclesia: etenim, dum terrena incepta terrenaque instituta omnia, utpote quae humano solummodo consilio humanaque vi polleant, alia ex aliis decursu temporum succrescunt, ad fastigium perveniunt, ac deinde suapte natura misere demittunt, decidunt, ac corruunt; quam tamen Redemptor noster communitatem constituit, ea ex divino habet Conditore suo, ut superna vita virtuteque perpetuo fruatur; qua quidem alita atque innixa ita temporum, rerum hominumque iniurias eluctatur victrix, ut ex eorum detrimentis ac ruinis novam queat felicioremque aetatem educere, novamque civium, populorum ac gentium christiana doctrina christianoque afflatu componere ac conformare societatem.

Quam autem partem hac in redintegratione renovationeque rerum Benedictus egerit, placet, Venerabiles Fratres, per Encyclicas has Litteras presse ac summatim attingere,

2 S. Greg. M., *Lib. Dial.*, II, Prol.; *P. L.*, LXVI, 126.
3 Cf. Cic., *De off.*, II, 8.

dum videtur hoc anno quartum ac decimum expleri saeculum, postquam ipse, innumeris laboribus in Dei gloriam hominumque in salutem exantlatis, terrestre exsilium caelesti patria feliciter mutavit.

I

Is, « liberiori genere ex provincia Nursiae exortus », [4] « spiritu iustorum omnium plenus fuit », [5] ac miro quodam modo rem christianam virtute prudentia sapientiaque sua suffulsit; etenim, dum saeculum vitiis consenuerat, dum Italia atque Europa miserrimum digladiantium populorum theatrum videbatur, ac monasticum etiam institutum, terreno respersum pulvere, ad corruptelarum illecebris resistendum repugnandumque minus poterat, quam opus erat, Benedictus perennem Ecclesiae iuventutem praeclara opera sanctitateque sua testatus est, morum disciplinam doctrina exemploque suo renovavit, ac religiosae vitae claustra tutioribus saepsit sanctioribusque legibus. Neque id satis; nam per se per suosque sectatores barbaras stirpes ex fero vitae usu ad civilem christianumque cultum reduxit, easdemque, ad virtutem, ad laborem et ad pacifica artium litterarumque studia convertens, fraterna necessitudine fraternaque caritate coniunxit.

In primo aetatis flore, Romae liberalibus disciplinis addiscendis traditur; [6] at ibi summo cum animi maerore videt haereses omneque genus errores serpere, multorumque decipere ac deformare mentes; privatos publicosque mores in pronum dilabi; ac plurimos praesertim iuvenes, mundulos ac concinnos, in voluptatum caeno miserrime volutari; ita quidem ut de Romana societate illud reapse asseverari posset: « Moritur et ridet. Et ideo in omnibus

[4] S. Greg. M., *Lib. Dial.*, II, Prol., loc. cit., 126.
[5] Ibidem, II, 8; loc. cit., LXVI, 150.
[6] Cf. S. Greg. M., *Lib. Dial.*, II, Prol.; loc. cit., 126.

fere partibus mundi risus nostros lacrimae consequuntur ».[7] Ipse tamen, gratia Dei praeventus, « nulli animum voluptati dedit ... sed cum ... multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem ... Despectis itaque litterarum studiis, relicta domo rebusque patris, soli Deo placere desiderans, sanctae conversationis habitum quaesivit ».[8] Commoditatibus igitur vitae ac corrupti saeculi illecebris non modo, sed allicientibus etiam futurae aetatis fortunae et honorabilibus muneribus, quibus inhiare poterat, libentissime vale dixit; ac Roma secedens, silvestres et solitarias regiones petiit, ubi supernarum rerum sibi liceret contemplationi vacare. Itaque Sublaqueum pervenit, ibique in angustum specum se recipiens, caelestem potius quam humanam vitam agere incepit.

Absconditus cum Christo in Deo,[9] illam inibi per triennium ubere cum fructu assequi enisus est evangelicam perfectionem sanctitudinemque, ad quam divino quodam instinctu vocabatur. Terrena omnia refugere ac caelestia solummodo vehementer appetere; diu noctuque cum Deo colloqui, ac preces ad eum fundere incensissimas pro sua proximorumque salute; corpus voluntaria castigatione cohibere ac temperare, pravosque sensuum motus refrenare ac compescere sollemne habuit. Atque ex hac vivendi agendique ratione tam suavem animo percipiebat dulcedinem, ut quas ex terrenis opibus ac commodis iam antea expertus esset oblectationes, eas omnes summo in fastidio haberet oblivioneque quadam oblitteratas. Cum vero humani generis hostis quodam die acerrimis eum libidinis stimulis agitaret, illico, ut nobili ac forti animo erat, strenua voluntate obstitit; ac se in veprium aculea urticarumque asperitates proiciens, cruciatibus hisce ultro susceptis internum incendium sedavit atque restinxit; ac sui ipsius victor

[7] Salvian., *De gub. mundi*, VII, 1; *P. L.*, LIII, 130.
[8] S. Greg. M., *Lib. Dial.*, II, Prol.; loc. cit., 126.
[9] Cf. *Col.*, III, 3.

evadens, superna gratia veluti in praemium confirmatus est. « Ex quo videlicet tempore, sicut post discipulis ipse perhibebat, ita in eo est temptatio voluptatis edomita, ut tale aliquid in se minime sentiret. ... Liber quippe a temptationis vitio, iure iam factus est virtutum magister ».[10]

Itaque Noster, per diuturnum hoc umbratilis ac solitariae vitae spatium in Sublaqueensi specu latens, sanctissime semet ipsum conformavit roboravitque, ac solida illa iecit christianae perfectionis fundamenta, quibus innixo in posterum sibi liceret magnam eximiae celsitudinis exstruere fabricam. Ut enim probe nostis, Venerabiles Fratres, sanctae navitatis sanctique apostolatus opera inania ac vacua procul dubio evadunt, nisi si eadem ex animo proficiscantur christianis illis ornamentis ditato, quibus tantummodo humana incepta possunt, superna suffragante gratia, ad Dei gloriam animarumque salutem recto itinere dirigi. Id quidem omnino sibi persuasum exploratumque habebat Benedictus; quamobrem, antequam grandia illa consilia ac proposita, ad quae divino afflante Numine vocabatur, exsequenda efficiendaque susciperet, eam, quam ceteris impertire cupiebat sanctitatis formam, ad evangelicae integritatem doctrinae compositam, in se luculenter referre quam maxime contendit, atque a Deo enixis precibus impetravit.

Cum autem excelsae eius sanctitudinis fama circumquaque manaret, ac magis in dies magisque percrebresceret, non modo monachi, qui in vicinia commorabantur, eius se disciplinae concredere exoptarunt, sed oppidanorum etiam multitudo ad eum turmatim convolare coepit, quae suavem eius vocem audire, quae praeclaram eius admirari virtutem, quaeque miranda ea cernere cupiebat signa, Deo donante ab eodem non raro perpetrata. Quin immo vivida illa lux, quae ex opaca Sublaqueensi spelunca radiabatur, tam late diffusa est, ut ad longinquas etiam re-

---

[10] S. Greg. M., *Lib. Dial.*, II, 3; loc. cit., 132.

giones diffunderetur. Quamobrem « coepere etiam tunc ad eum Romanae urbis nobiles et religiosi concurrere, suosque ei filios Omnipotenti nutriendos dare ».[11]

Tum sanctissimus vir tempus advenisse intellexit, providentis Dei consilio praestitutum, quo religiosorum hominum familiam conderet, eamdemque omni nisu ad Evangelicam perfectionem conformaret. Idque optimis sub initium evenit auspiciis. Multi enim fuere « ab eo in loco eodem ad Omnipotentis Dei... servitium congregati: ita ut illic duodecim monasteria cum Omnipotentis Iesu Christi Domini opitulatione construeret, in quibus statutis patribus duodenos monachos deputavit; paucos vero secum retinuit, quos adhuc in sua praesentia aptius erudiri iudicavit ».[12]

Verumtamen, dum res — ut diximus — felici utebantur auspicio, ac iam uberes salutaresque edebant fructus, maioresque etiam in posterum pollicebantur, summo Noster cum animi maerore vidit turbidam in succrescentes segetes ingruere procellam, quam stridens invidia commoverat, ac terrenae cupidinis desideria concitaverant. Quoniam vero Benedictus non humano, sed divino consilio ducebatur, ne, quod in se potissimum conflatum erat odium, in suorum detrimentum misere recideret, « invidiae locum dedit, atque oratoria cuncta, quae construxerat, substitutis praepositis adiunctis fratribus ordinavit, et paucis secum monachis ablatis, habitationem mutavit loci ».[13] Itaque, Deo fidens eiusque praesentissimo fretus auxilio, ad meridiem perrexit, et ad castrum concessit, « quod Casinum dicitur, in excelsi montis latere situm...; ubi vetustissimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more gentilium a stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circumquaque etiam in cultu daemonum luci succreverant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multi-

---

11 Ibidem, II, 3; loc. cit., 140.
12 Ibidem, loc. cit., 140.
13 Ibidem, II, 8; loc. cit., 148.

tudo sacrificiis sacrilegis insudabat. Illuc itaque vir Dei perveniens, contrivit idolum, subvertit aram, succendit lucos, atque in ipso templo Apollinis oraculum Beati Martini, ubi vero ara eiusdem Apollinis fuit, oraculum sancti construxit Ioannis; et commorantem circumquaque multitudinem praedicatione continua ad fidem vocabat ».[14]

Casinum, ut omnes norunt, princeps fuit S. Patriarchae domicilium ac praecipuum eius virtutis sanctitatisque theatrum. Ex illius cacumine montis, dum fere undique ignorantiae vitiorumque tenebrae ventitantes omnia obvolvere atque obruere conabantur, novum refulsit lumen, quod, non tantum humanitatis veteris doctrina civilique cultu enutritum, sed christianis etiam praeceptis fotum, aberrantes per devia populos ac gentes collustravit, et ad veritatem ad rectumque iter revocavit ac direxit. Ita quidem ut iure meritoque asseverari queat, quod sacrum ibi coenobium exstructum fuit, illud optimarum disciplinarum virtutumque omnium perfugium ac praesidium exstitisse, ac gravissimis illis temporibus « quasi Ecclesiae columen fideique propugnaculum »[15].

Heic Benedictus monasticae vitae institutum ad eam perduxit perfectionis formam, ad quam iam diu precando, meditando, experiendoque contenderat. Hoc siquidem peculiare ac praecipuum munus eidem ex providentis Dei consilio demandatum fuisse videtur, ut ex orientalibus nempe regionibus monachorum vivendi rationem non tam in occidentem inveheret, quam Italiae ceterorumque Europae populorum ingenio, necessitatibus ac condicionibus accommodaret atque aptaret feliciter. Itaque serenae illi asceseos doctrinae, quae in orientis coenobiis tantopere floruerat, operosa per eum adiicitur atque indefatigabilis navitas, qua liceat « contemplata aliis tradere »[16], ac ter-

---

[14] Ibidem, loc. cit., 152.

[15] Pius X, Litt. Apost. *Archicoenobium Casinense*, d. d. x Febr. a. MDCCCCXIII.

[16] S. Thom., II-IIae, q. 188, a. 6.

renas non tantum segetes ex incultis terris producere, sed spirituales etiam fructus apostolico edere sudore. Quas solitaria vita asperitates habebat, non omnibus consonas ac nonnullis interdum etiam periculosas, eas lenit ac mulcet fraternus Benedictinae domus convictus, in quo precando, operando, ac sacris vacando profanisque disciplinis, beata requies non novit otium neque desidiam; et in quo actio et labor, nedum mentem animumque fatigent, dissipent et ad inutilia abstrahant, serenant potius, confirmant, et ad superna erigunt. Non nimius enim disciplinae rigor, non cruciatuum acerbitas iubetur, sed Dei amor imprimis ac fraterna erga omnes actuosaque caritas. Siquidem « regulam suam ita temperavit, ut fortes plura facere cuperent, et infirmi eius severitatem non refugerent ... Studebat potius amore suos regere, quam eis timore dominari ».[17] Cum igitur quodam die anachoretam cerneret, qui se vinculis alligatum in angustum specum concluserat, ne iterum ad peccata et ad saeculi vitam redire posset, eum benigne hisce verbis reprehendit: « Si servus Dei es, non teneat te catena ferri, sed catena Christi ».[18]

Itaque peculiaribus illis eremitarum vitae normis ac singularibus praeceptis, quae antea plerumque non omnino certa ac statuta erant, sed saepenumero ex ipsius coenobiarchae nutu pendebant, Benedictina lex monastica successit, praeclarum illud romanae christianaeque sapientiae monumentum, in quo monachorum iura, officia ac ministeria Evangelica benignitate ac caritate temperantur, et quod tantopere ad multorum excitandam virtutem sanctitatemque provehendam valuit ac valet. In hac nempe Benedictina lege prudentia summa cum simplicitate coniungitur, christiana humilitas cum animosa virtute copulatur; ac severitatem moderatur lenitas, debitamque obtemperationem sana libertas nobilitat. In ea reprehensio firmitate pollet, sed indulgentia ac benignitas suavitate arridet; prae-

---

[17] Mabillon, *Annales Ord. S. Bened.;* Lucae, 1739, t. I, p. 107.
[18] S. Greg. M., *Lib. Dial.*, III, 16; *P.L.*, LXXVII, 261.

cepta omnino vigescunt, sed obedientia dat quietem mentibus, dat pacem animis; silentium gravitate placet, sed colloquium dulci gratia ornatur; ac vis denique auctoritatis exercetur, sed infirmitas non caret auxilio.[19]

Haud miramur igitur si, quam « vir Dei Benedictus... scripsit monachorum regulam, discretione praecipuam, sermone luculentam »,[20] eam cordati omnes hodie summis laudibus efferant; ac libet heic praecipua eius lineamenta breviter scribendo attingere et in sua luce ponere, cum id non modo frequentissimae S. Patriarchae suboli, sed ceteris etiam ex clero christianoque populo gratum fore atque utile confidamus.

Monastica communitas ita constituitur ac conformatur, ut christianae domui assimuletur, cui quidem abbas, seu coenobiarcha, quasi pater familias praesit, atque omnes ex paterna eius auctoritate omnino pendere debeant. « Vidimus expedire — ita Benedictus — propter pacis caritatisque custodiam, in abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui ».[21] Quamobrem ei singuli universi ex officii conscientia religiosissime obtemperare debent,[22] in eodemque divinam ipsam respicere ac revereri auctoritatem. Qui tamen ex credito sibi munere monachorum animos regendos et ad evangelicam vitae perfectionem excitandos suscepit, diligentissime recogitet atque perpendat sibi fore aliquando de iisdem supremo Iudici rationem reddendam;[23] atque adeo in gravissima hac causa ita se gerat, ut iusto afficiatur praemio, cum « in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio ».[24] Ac praeterea quotiescumque in suo cuiusque coenobio res praecipuae pertractandae sunt, sodales convocet omnes, eorumque consilia, libere deprompta, audiat, accurateque consideret, antequam

---

[19] Cfr. Bossuet, *Panégyrique de S. Benoit, Oeuvres compl.*, vol. XII, Paris 1863, p. 165.
[20] S. Greg. M., *Lib. Dial.*, II, 36; *P. L.*, LXVI, 200.
[21] *Reg. S. Benedicti*, c. 65.
[22] Cf. Ibidem, c. 3.
[23] Cf. Ibidem, c. 2.
[24] Ibidem, c. 2.

ad easdem aptiore, quo videbitur, modo decernendas deveniat.[25]

Gravis autem difficultas ac salebrosa quaestio inde ab initio emersit, cum agebatur de monasticae vitae candidatis, qui excipiendi vel recusandi essent. Concurrebant enim ad sacra coenobia cooptandi ex omni stirpe ac gente et ex quovis civium ordine: Romani nempe ac barbari, liberi ac servi, victi ac victores, atque ex patricia nobilitate non pauci ex humilique aeraria plebe. Eiusmodi causam quaestionemque Benedictus grandi animo ac fraterna caritate solvit atque composuit; « quia — ita ipse — sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus, et sub uno Domino aequalem servitutis militiam baiulamus ... Ergo aequalis sit ... omnibus caritas; una praebeatur in omnibus secundum merita disciplina »[26]. Iis vero iubet, qui Institutum suum amplexi fuerint, ut « omnia ... omnibus sint communia »;[27] non vi, vel aliquo coactu, sed sponte ac generosa voluntate. Omnes praeterea in coenobii claustris religiosae vitae stabilitate contineantur; ita tamen ut, non modo divinis precibus librorumque lectioni vacare debeant,[28] sed agrorum etiam culturae,[29] sed fabrilibus etiam artibus,[30] sed sacris quoque apostolatus operibus. Etenim « otiositas inimica est animae; et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum... ».[31] Verumtamen hoc primarium omnibus esto, hoc summa diligentia summaque cura enitendum, ut nempe « nihil operi Dei praeponatur ».[32] Quamquam enim « ubique credimus divinam esse praesentiam ... Maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum adsistimus. ... Ergo consideremus qualiter oporteat in conspectu Divi-

---

25 Cf. Ibidem, c. 3.
26 Ibidem, c. 2.
27 Ibidem, c. 33.
28 Cf. Ibidem, c. 48.
29 Cf. Ibidem, c. 48.
30 Cf. Ibidem, c. 57.
31 Ibidem, c. 48.
32 Ibidem, c. 43.

nitatis et angelorum eius esse, et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae »[33].

In praecipuis hisce normis atque sententiis, quas ex Benedictina lege quasi delibare placuit, non modo monasticae eiusdem regulae prudentia, opportunitas, ac mirabilis illa cum humana natura congruentia atque concordia facile cernuuntur atque aestimantur, sed eius etiam momentum eiusque summa gravitas. Dum enim obscura ea ac turbulenta aetate, agrorum cultura, fabriles ingenuaeque artes, litterarum studia ac sacrae profanaeque disciplinae nullo habebantur in pretio, sed misere fere ab omnibus deserebantur, in Benedictinis coenobiis paene innumera succrevit agricolarum, artificum, doctorumque hominum multitudo, quae non tantum vetustae doctrinae documenta incolumia pro viribus servare contendit, sed veteres etiam novosque populos, saepenumero inter se digladiantes, ad pacem, ad concordiam, ad operosamque navitatem revocavit; eosdemque ex renascenti barbaria, ex vastationibus, ex ruinis ad humanae christianaeque lenitatis mores, ad laboris patientiam, ad veritatis lumen, et ad civilem redintegrandum cultum, sapientia caritateque conformatum, feliciter reduxit.

Neque id satis; hoc enim in Benedictinae vitae Instituto praecipuum est, ut omnes nempe, dum vel manu, vel mente operantur, in id potissimum respectent atque contendant, ut ad Christum se quisque continenter erigant eiusque perfectissimo amore exardescant. Non enim possunt terrenae res, vel universae, animum explere hominum, quem Deus ad se assequendum creavit; sed potius id habent ab Auctore suo demandatum, ut nos veluti per ascendentes gradus ad eumdem potiundum moveant atque convertant. Quamobrem pernecesse imprimis est « nihil amori Christi praeponere »;[34] « nihil sibi Christo carius existi-

[33] Ibidem, c. 19.
[34] Ibidem, c. 4.

mare »;[35] « Christo omnino nihil praeponere, qui nos ad vitam aeternam perducat ».[36]

Huic autem flagrantissimo in Divinum Redemptorem amori caritas in proximos respondeat oportet, quos omnes veluti fratres amplecti debemus, omnique ope iuvare. Quapropter, dum odia simultatesque alios adversus alios agitant atque propellunt, dum rapinae, caedes, innumeraeque aerumnae ac miseriae ex turbida illa gentium rerumque conversione proficiscuntur, suis asseclis Benedictus sanctissima haec praecepta commendat: « Pauperum et peregrinorum maxime susceptioni cura sollicite exhibeatur, quia in ipsis magis Christus suscipitur ».[37] « Omnes supervenientes hospites tamquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: Hospes fui et suscepistis me ».[38] « Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda est, ut, sicut revera Christo, ita eis serviatur, quia ipse dixit: Infirmus fui et visitastis me »[39]. Itaque perfectissima eiusmodi erga Deum, erga proximos caritate animatus atque compulsus opus suum consummavit atque perfecit; et, cum iam laetabundus meritisque plenus, caelestes sempiternae beatitatis auras praeciperet, eiusque praegustaret suavitates, « ante sextum ... sui exitus diem, aperiri sibi sepulturam iubet. Qui mox correptus febribus, acri coepit ardore fatigari; cumque per dies singulos languor ingravesceret, sexta die portari se in oratorium a discipulis fecit, ibique exitum suum Dominici corporis et sanguinis perceptione munivit, atque inter discipulorum manus imbecilla membra sustentans, erectis in caelum manibus, stetit, et ultimum spiritum inter verba orationis efflavit ».[40]

---

35 Ibidem, c. 5.
36 Ibidem, c. 72.
37 Ibidem, c. 53.
38 Ibidem, c. 53.
39 Ibidem, c. 36.
40 S. Greg. M., *Lib. Dial.*, II, 37; *P. L.*, LXXVII, 202.

II

Postquam autem sanctissimus Patriarcha ad superos pio obitu evolavit, quem monachorum Ordinem condiderat, nedum decideret, vel collaberetur, visus est potius non modo praesentissimo eius exemplo fuisse nullo non tempore ductus, alitus conformatusque, sed eius quoque caelesti patrocinio ita fuisse suffultus ac roboratus, ut maiora in annos incrementa susciperet.

Quantopere vero Benedictini Instituti vis ac virtus in priscam illam aetatem feliciter valuerit, et quot quantaque in subsequentium etiam saeculorum cursum contulerit beneficia, ii omnes agnoscant oportet, qui non praeiudicatis opinionibus moti, sed ex historiae fide humanos eventus dispiciant rectoque iudicio existiment. Etenim, praeterquam quod, ut supra diximus, Benedictini sodales paene uni fuere, qui per tenebricosum aevum, in tanta hominum ignorantia rerumque dissolutione, doctrinae litterarumque codices custodirent incolumes diligentissimeque transcriberent atque commentarentur, iidem etiam praeprimis fuere, qui artes, qui disciplinas, qui magisteria exercerent omnique ope proveherent. Ita quidem ut, quemadmodum Catholica Ecclesia tribus potissimum prioribus suae vitae saeculis sacro cruore martyrum fuit mira quadam ratione solidata et aucta, atque eodem subsequentique tempore divinae eius doctrinae integritas adversus haereticorum incursus atque fallacias per strenuam sapientemque SS. Patrum operam sarta tectaque servata fuit, asseverari reapse possit Benedictinum Institutum eiusque coenobia florentissima non sine Numinis consilio atque afflatu idcirco excita fuisse, ut, collabente Romano Imperio, ac concursantibus usquequaque feris gentibus, bellico compulsis furore, christiana res publica et sua resarciret detrimenta, et novis Evangelica veritate caritateque mansuefactis populis, eosdem ad fraternam concordiam, ad fructuosum laborem ad

virtutem denique, quae Redemptoris nostri praeceptis regatur, eiusque enutriatur gratia, sollerti atque indefessa data opera reducerent. Siquidem, ut anteacta aetate per consulares vias Romanae gradiebantur legiones, quae Almae Urbis imperio cunctas gentes subicere contenderent, ita tunc innumerae monachorum cohortes, quorum arma « non carnalia sunt, sed potentia Deo », [41] a Pontifice Maximo mittuntur, ut non gladio, non vi, non caede, sed Cruce et aratro, sed veritate et caritate pacificum Iesu Christi Regnum ad terrarum orbis usque terminos feliciter propagarent. Ubicumque autem inermes eiusmodi cohortes, quae ex christianae religionis praeconibus, ex òpificibus, ex agricolis, atque ex humanarum divinarumque disciplinarum magistris constabant, sua ponebant vestigia, inibi saltuosae incultaeque terrae ferro proscindebantur; fabrilium optimarumque artium excitabantur domicilia; atque ex silvestri feraque vita ad civilem consortionem civilemque cultum homines conformabantur, eisdemque Evangelicae doctrinae virtutisque lumen in exemplum praelucebat. Apostoli innumeri, superna flagrantes caritate, incognitas ac turbulentas peragrarunt Europae regiones, generoso eas irrorarunt sudore ac sanguine, earumque pacatis populis catholicae veritatis sanctitudinisque invexere lucem. Ita quidem ut reapse affirmari possit, quamvis Roma, multis iam aucta victoriis, ius imperii sui terra marique protulerit, per eos tamen « minus ... fuisse quod ei bellicus labor subdidit, quam quod pax christiana subiecit ». [42] Siquidem non modo Britannia, Gallia, Batavia, Frisia, Dania, Germania, Pannonia ac Scandia, sed Slavoniae etiam nationes non paucae horum monachorum apostolatu gloriantur, eosdemque et sua decora existimant, et praeclaros civilis sui cultus auctores. Quot sacrorum Antistites ex eorum Ordine orti sunt, qui vel iam constitutas Dioe-

---

[41] *II Cor.*, X, 4.
[42] Cf. S. Leo M., *Serm. I in natali Ap. Petri et Pauli; P. L.*, LIV, 423.

ceses sapienti rexere regimine, vel novas non paucas condidere, suoque fecundarunt labore. Quot magistri doctoresque eximii celeberrimas studiorum ac liberalium artium exstruxere sedes, ac non modo plurimorum mentes, erroribus infuscatas, collustrarunt, sed in universum etiam sacrarum profanarumque disciplinarum adauxere incrementa. Quot denique sanctissimi viri enituere, qui, in Benedictinam adsciti subolem, Evangelicam pro viribus sunt perfectionem assecuti, ac suae virtutis exemplo, sacris concionibus signisque mirandis prorsus, Deo largiente, patratis, Iesu Christi Regnum omni ope propagarunt. In quibus quidem permulti, ut probe nostis, Venerabiles Fratres, vel Episcopali fuere dignitate insigniti, vel Summi etiam Pontificatus refulsere maiestate. Horum apostolorum, Antistitum, sanctorum virorum Summorumque Pontificum nomina, aureis litteris in Ecclesiae annalibus scripta, longum est heic singillatim recensere; ac ceteroquin tam vivido splendore lucent, tam magnum habent in historiae cursu momentum, ut facile omnibus innotescant.

Valde igitur opportunum ducimus ut haec, quae presse scribendo attigimus, per haec saecularia sollemnia intento reputentur animo omniumque ante oculos nitidissima luce reviviscant, quo facilius omnes inde sumant, non modo ut inclitos hos Ecclesiae fastos efferant atque dilaudent, sed ut illa etiam, quae sanctioris vitae documenta ac praecepta ex iisdem proficiscuntur, libenti actuosaque voluntate sequantur.

Non enim veteres solummodo aetates habuere, cur innumera ex hoc Patriarcha ex eiusque Instituto beneficia acciperent, sed multa etiam ac gravia habet aevum hoc nostrum, quae ab eo addiscat. Ii addiscant imprimis — quod ceteroquin non dubitamus — qui ex frequentissima eius familia sunt, praeclaris eius vestigiis auctiore cotidie studio insistere, eiusque virtutis sanctitatisque principia atque exempla in suum cuiusque vitae usum deducere. Ita enim profecto eveniet, ut ei non solum, quam

caelestem olim, superno quodam instinctu ducti, secuti sunt vocem, cum monasticam auspicati sunt vitam, libenti animo frugiferaque respondeant opera, non solum ut serenae suae conscientiae requieti, sempiternaeque suae saluti apprime consulant, sed ut etiam in communem christiani populi utilitatem in divinamque promovendam gloriam, uberibus cum fructibus, allaborare queant.

Ac praeterea omnes quoque civium ordines, si studiosa intentaque mente in S. Benedicti vitam in eiusque praecepta praeclaraque facinora intueantur, facere iidem non poterunt quin suavissimo potentissimoque eius afflatu atque appulsu moveantur; ac sponte recognoscant saeculum etiam nostrum, tot tantisque rerum animorumque ruinis, periculis ac detrimentis perturbatum et anxium, necessaria ab eo posse mutuari remedia. Ante omnia vero meminerint ac probe considerent augusta religionis principia eiusque morum normas tutiora esse atque firmiora humanae societatis fundamenta; quibus quidem subversis vel debilitatis, necessitate quadam pronum esse omnia pedetemptim collabi, quae ad rectum ordinem, quae ad pacem, quae ad prosperitatem civium populorumque pertineant. Id, quod tam luculenter, ut vidimus, Benedictini Ordinis historia testatur, iam prisca ethnicorum aetate lectissima mens perspexerat, cum eiusmodi sententiam edidit: « ... Vos Pontifices, ... diligentius ... urbem religione, quam ipsis moenibus cingitis ».[43] Itemque « ... Quibus [sanctitate et religione] sublatis, perturbatio vitae sequitur, et magna confusio; atque haud scio an pietate adversus deos sublata, fides etiam et societas generis humani et una excellentissima virtus, iustitia, tollatur ».[44]

Primum igitur ac praecipuum hoc est: supremum revereri Numen, eiusque sanctissimis legibus privatim, publice obtemperare; quibus posthabitis nulla prorsus humana potestas frenos est habitura tantos, ut satis cohibere

---

43 Cic., *De nat. Deor.*, II, c. 40.
44 Ibidem, I, c. 2.

ac iure componere incitatas plebis cupiditates possit. Una enim religio recti honestique firmamenta continet.

At aliud quoque sanctissimus Patriarcha docet et admonet, quo nostra haec aetas tantopere indiget: Deum nempe non modo esse honorandum atque colendum, sed impensa etiam caritate veluti Patrem adamandum. Quae quidem caritas cum hodie misere frigeat atque torpescat, inde consequitur ut plurimi terrena potius quaerant, quam caelestia; idque incomposita contentione, quae turbas non raro parit, simultatesque et odia alit acerrima. Atqui, cum aeternum Numen vitae nostrae sit auctor, ab eodemque innumera nobis impertiantur beneficia, debitum omnibus officium est summo eum amore prosequi, ad eumque potissimum nos nostraque omnia convertere ac dirigere. Atque ex eiusmodi divino amore fraterna erga proximos caritas oriatur oportet, quos omnes cuiusvis stirpis, cuiusvis nationis civilisque ordinis utpote in Christo fratres habeamus; ita quidem ut ex universis gentibus ex cunctisque Civitatis classibus una fiat christiana familia, quam non nimium uniuscuiusque utilitatis studium dissociet, sed mutua adiutricis operae collatio amico animo coniungat. Si haec praecepta, quibus olim Benedictus permotus, collabentem turbulentamque illorum temporum societatem collustravit, recreavit, erexit, ad melioresque reduxit mores, hodie etiam quam latissime in usum veniant atque vigescant, tum facilius procul dubio nostrum quoque saeculum poterit ex formidoloso eiusmodi naufragio emergere, sua poterit rerum animorumque resarcire detrimenta, suisque immensis malis opportune feliciterque mederi.

Ac praeterea, Venerabiles Fratres, legifer Benedictini Ordinis auctor nos docet — quod quidem tam libenter hodie conclamatur propalam, sed nimio saepius non recte, ut addecet atque oportet, in vitae usum deducitur — humanum nempe laborem non aliquid esse dignitatis expers, odiosum atque molestum, sed aliquid potius amandum, decorum atque iucundum. Operosa etenim vita, sive

agrorum cultura, sive artibus quaestuosis, sive denique ingenuis exerceatur disciplinis, non deprimit animos sed nobilitat; non eos in servitutem redigit, sed verius earum rerum, quae circumstant quaeque laboriose tractantur, dominos quodammodo moderatoresque efficit. Iesus ipse adolescens, cum adhuc intra domesticos parietes lateret, in nutricii sui officina tignarium fabrum agere non dedignatus est, divinoque sudore suo humanum voluit consecrare laborem. Animadvertant igitur ii non modo, qui litterarum doctrinarumque studio vacant, sed ii etiam, qui fabrilibus artibus insudant, ut sibimet ipsis possint cotidianum comparare victum, rem agere nobilissimam, qua suis non tantum cuiusque commodis consulere, sed totius etiam inservire queant civilis communitatis bono. Id faciant tamen, ut Benedictus Patriarcha admonet, mente animoque ad caelum erectis; id non vi, sed amore agant; id denique — cum etiam legitima sua tueantur iura — non ceterorum sorti invidentes suscipiant, non incomposite ac per turbas, sed tranquillo rectoque ordine. Ac divinae illius sententiae sint memores: « In sudore vultus tui vesceris pane »[45]; quod quidem praeceptum est ab omnibus hominibus obedientiae expiationisque causa exsequendum.

Hoc vero potissimum ne obliviscantur, ex terrenis nempe caducisque rebus, sive mentis acie excultis ac vestigatis, sive laboriosa tractatis arte, ad caelestia illa perpetuoque mansura nobis esse auctiore cotidie nisu contendendum, quae quidem cum assecuti erimus, tum solummodo licebit pace vera, serena requiete, sempiternaque felicitate perfrui.

Cum bellum, proxime saeviens, in Campaniae ac Latii oras illatum esset, miserandum in modum, ut nostis, Venerabiles Fratres, sacrum etiam Casini montis verticem attigit; et quamvis Nos, quidquid suadendo, adhortando obtestandoque potuimus, nihil reliqui fecerimus, ut religioni sanctissimae, optimis artibus ipsique civili cultui

[45] *Gen.*, III, 19.

tam immanis ne inferretur iactura, nihilo secius praeclarum illud studiorum pietatisque domicilium, quod e saeculorum fluctibus quasi fax tenebrarum victrix emerserat, subvertit ac diruit. Itaque, dum urbes, oppida, castella ac vici circum sunt obruta cladibus atque ruinis, visum est quodammodo Casinense etiam Archicoenobium, princeps Benedictini Ordinis domus, quasi filiorum suorum participare luctum, participare miserias. Ac fere nihil aliud incolume superfuit, nisi sacrum hypogeum, in quo S. Patriarchae exuviae religiosissime asservantur.

In praesens quoque, ubi excelsa fulgebant monumenta, parietinae sunt, maceriae ac rudera, quae vepres miserabundae obvolvunt; ac prope tantummodo parva excitata est haud ita pridem monachorum sedes. At cur sperare non liceat, dum quartum ac decimum commemoratur saeculum, ex quo sanctissimus ille vir, postquam tantum inchoavit perfecitque opus, superorum est potitus beatitatem, cur, dicimus, sperare non liceat fore ut — conitentibus bonis omnibus, iisque imprimis, qui et divitiis affluunt, et generoso praestant animo — antiquissimum hoc Archicoenobium ad pristinum quam primum restituatur decus? Hoc profecto Benedicto debet humana societas, quae, si hodie tanto doctrinae lumine splendet, si vetustis laetatur litterarum documentis, id magnam partem eidem eiusque laboriosae suboli acceptum referat necesse est. Futurum igitur confidimus ut spei ac votis hisce Nostris res feliciter respondeat; sitque hoc opus non modo redintegratae restitutionis officium, sed auspicium etiam meliorum temporum, quibus Benedictini Instituti afflatus, eiusque opportunissima praecepta magis in dies magisque vigescant.

Qua suavissima spe freti, tum vobis singulis, Venerabiles Fratres, cunctoque gregi curis cuiusque vestris demandato, tum universae monachorum familiae, quae legifero hoc gloriatur magistro ac patre, caelestium gratiarum aus-

picem Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXI mensis Martii, in festo S. Benedicti, anno MDCCCCXXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

PIUS PP. XII

8 - S. S. C. S. Officii

DECRETUM

(*AAS* XXXIX [28 mart. 1947] p. 130)

DE VEXILLORUM BENEDICTIONE

Proposito dubio: « An vexilla cuiusvis civium partis (*partito politico*) benedicere liceat », E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales fidei moribusque tutandis praepositi, attento decreto huius Supremae, diei 31 augusti 1887, in generali consessu habito feria IV, die 5 Martii 1947, respondendum decreverunt: *Negative*.

Et sequenti feria V, die 6 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Papa XII, in Audientia Exc.mo D.no Adsessori S. Officii impertita, relatam Sibi Em.orum Patrum resolutionem ratam habuit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 20 Martii 1947.

SEBASTIANUS FRAGHÌ,
Supr. S. Congreg. S. Officii Notarius.

9 - S. C. Concilii

DECLARATIO

(*AAS* XXXVIII [23 nov. 1946] p. 401)

Iudicialis actio, qua Exc.mus Aloysius Stepinac Archiepiscopus Zagrabiensis, per civilem Iugoslaviae magistratum fuit arbitrio coniectus in carcerem atque iniuria damnatus, universum catholicum orbem atque civilem ipsam societatem vehementer commovit.

Ecclesia tribus praesertim Codicis Iuris Canonici praescriptis sacros Pastores eorumque dignitatem ac libertatem tuetur, comminans excommunicationem ipso facto incurrendam ab eis

1. qui ad iudicem laicum traxerint Episcopum, praesertim proprium (can. 2341),

2. qui violentas manus iniecerint in personam Archiepiscopi seu Episcopi (can. 2343 § 3),

3. qui directe vel indirecte impediverint exercitium iurisdictionis seu potestatis ecclesiasticae, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem (can. 2334, 2°).

Omnes eiusmodi excommunicationes sunt, pro casuum varietate, simplici vel speciali modo Sedi Apostolicae rerervatae.

Sacra Congregatio Concilii igitur, cleri populique christiani disciplinae praeposita, quum praefata crimina nullam habere causam graviter minuentem imputabilitatem dignoscantur (can. 2205 § 3, 2229 § 3, 3°), augentes vero habeant, praesertim ob singularem Exc.mi Viri offensi dignitatem (can. 2207, 1°), praesentibus declarat eos omnes, qui ad memorata delicta patranda physice vel moraliter concurrerint, aut eorumdem necessarii participes exstiterint (can. 2209 § 1-3), excommunicationes supra re-

latas incurrisse, eisque subiectos permansuros, donec a Sede Apostolica absolutionem impetraverint.

Datum Romae, die 14 Octobris 1946.

F. Card. Marmaggi, *Praefectus.*

L. ✠ S. F. Roberti, *a secretis.*

10 - S. Congregatio de Religiosis

DECRETUM

(*AAS* XXXIX [29 mart. 1947] p. 131)

Publici iuris iam facta Constitutione Apostolica *Provida Mater Ecclesia,* omnia diligenter parare oportet quae ad ipsius interpretationem, applicationem, complementa, necessaria seu opportuna videntur. Ideo ex Audientia Ss.mi, habita ab infrascripto Cardinali huius Sacrae Congregationis Praefecto die 24 vertentis mensis Martii, specialis Commissio iurisperitorum instituitur, quae Sacrae Congregationi in illis omnibus assideat, quae ad legislationem Instituta saecularia quoquo modo respicientem et ad ipsorum Institutorum approbationem atque evolutionem spectant.

Commissarii, quibus alii, prout necessitas vel utilitas suggerat, addentur, sequentes Rev.mi Patres recensentur:

Rev.mus P. Emmanuel Suárez, Magister Generalis Ordinis Praedicatorum;

Rev.mus P. Ioseph Grendel, Superior Generalis Congregationis Verbi Divini;

Rev.mus P. Agatangelus a Langasco, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum;

Rev.mus P. Ioseph Creusen, S. I., in Pontificia Gregoriana Universitate Iuris Canonici Professor;

Rev.mus P. Servus Goyeneche, C. M. F., Professor Iuris Canonici in Pontificio Athenaeo Utriusque Iuris Lateranensi;

Rev.mus D. Alvarus del Portillo, Procurator Generalis Instituti saecularis « Opus Dei », *a secretis*.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Religiosis, die 25 Martii 1947.

✠ A. Card. Lavitrano, *Praefectus*

L. ✠ S.

† Fr. L. H. Pasetto, Archiep. tit. Iconien., *Secretarius*.

ACTA SUMMATIM RELATA

11 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Constitutio Apostolica *Vancuveriensis* (Kamloopsensis), 22 dec. 1945, qua nova erigitur dioecesis « Kamloopsensis » nuncupanda, metropolitanae ecclesiae Vancuveriensi suffraganea (*AAS* xxxix [11 mart. 1947] p. 73).

B — Constitutio Apostolica *De Aguas Calientes*, 5 ian. 1946, qua canonicorum Capitulum in cathedrali ecclesia de Aguas Calientes erigitur (*AAS* xxxviii [21 dec. 1946] p. 413).

C — Constitutio Apostolica *Chachapoyasensis et aliarum* (a S. Francisco Xaverio), 11 ian. 1946, qua nova erigitur Praefectura apostolica « a S. Francisco Xaverio » denominanda (*AAS* xxxviii [21 dec. 1946] p. 416).

D — Constitutio Apostolica *Urbis*, 25 ian. 1946, qua Diaconia in ecclesia S. Hadriani olim constituta in ecclesia S. Pauli in Arenula transfertur (*AAS* xxxix [24 febr. 1947] p. 54).

E — Constitutio Apostolica *De Mwanza* (Musomensis et Maswensis), 11 apr. 1946, qua novus erigitur Vicariatus apostolicus « Musomensis et Maswensis » nuncupandus (*AAS* xxxix [11 apr. 1947] p. 76).

F — Constitutio Apostolica *Nictheroyensis et Barrensis de Pirahy* (Petropolitana), 13 apr. 1946, qua nova erigitur dioecesis sub nomine « Petropolitana », metropolitanae ecclesiae S. Sebastiani Fluminis Ianuarii suffraganea (*AAS* xxxix [11 mart. 1947] p. 77).

G — Epistula *Celeberrima sollemnia*, 28 apr. 1946, ad E.mum S. R. E. Card. Aloisi Masella, quem Legatum mittit ad coronam apponendam simulacro B. Mariae V. de Fatima (*AAS* xxxviii [23 nov. 1946] p. 376).

H. — Constitutio Apostolica *Tanganikensis* (Kigomensis et Karemensis), 10 mai 1946, qua Vicariatus Apostolicus Tanganikensis bipartitur et novus exinde Vicariatus Apostolicus Karemensis erigitur; residua vero pars posthac Vicariatus Apostolicus Kigomensis nuncupabitur (*AAS* xxxix [11 mart. 1947] p. 80).

I — Constitutio *Papuasiae* (Portus Moresby-Samaraiensis),

13 iun. 1946, qua e Vicariatu Apostolico Papuasiae pars separatur, quae in novam erigitur Praefecturam Apostolicam « Samaraiensem » nuncupandam; residua autem Vicariatus pars « Portus Moresby » posthac nuncupabitur (*AAS* XXXIX [11 mart. 1947] p. 82).

K — Epistula *Peculiari animi*, 16 iun. 1946, ad Emum Card. GUEVARA, archiepiscopum Limanum, ad urbem Sucrensem Legatum missum ob Conventum Eucharisticum e tota Boliviana republica celebrandum (*AAS* XXXVIII [23 nov. 1946] p. 377).

L — Constitutio Apostolica *Vicariatus Patriarchalis Maronitarum in Aegypto* (Cahirensis Maronitarum), 22 iun. 1946, qua Vicariatus Patriarchalis Maronitarum in Aegypto in dioecesim erigitur, « Cahirensem Maronitarum » nuncupandam (*AAS* XXXIX [11 mart. 1947] p. 84).

M — Epistula *Libenti quidem animo*, 29 iun. 1946, ad Exc.mum P. D. IOSEPHUM BELTRAMI, Nuntium Apostolicum in Columbia, quem Legatum deligit ad Conventum Marianum in urbe Bogotensi e tota Columbiana republica indictum (*AAS* XXXVIII [23 nov. 1946] p. 378).

N — Epistula *Philippinas Insulas*, 31 iun. 1946, ad Ex.mum P. D. MICHAËLEM O' DOHERTY, archiepiscopum Manilensem, ob Marialem conventum tertio vertente saeculo a parta victoria « La Naval » celebrandum (*AAS* XXXVIII [21 dec. 1946] p. 417).

O — Constitutio Apostolica *Mariannensis, Carolinensis et de Marshall* (Guamensis), 4 iul. 1946, qua insulae Mariannenses Vicariatui Apostolico Guamensi adnectuntur (*AAS* XXXIX [15 apr. 1947] p. 164).

P — Litterae Decretales *Spiritus Domini*, 7 iul. 1946, quibus Beatae XAVERIAE CABRINI, fundatrici Instituti Missionariarum a S. Corde Iesu, Sanctorum honores decernuntur (*AAS* XXXIX [24 febr. 1947] p. 41).

Q — Constitutio Apostolica *Allahabadensis* (de Gorakhpur), 11 iul. 1946, qua nova erigitur Praefectura Apostolica « de Gorakhpur » et dioecesis Allahabadensis clero saeculari indigenae posthac concreditur (*AAS* XXXIX [15 apr. 1947] p. 165).

R — Epistula *Proximo exeunte Octobri mense*, 25 iul. 1946, ad Exc. P. D. GEORGIUM IOS. CARUANA, Nuntium Apostolicum in Republica Cubana, vicesimo quinto anno ab episcopatu suscepto (*AAS* XXXIX [28 ian. 1946] p. 32).

S — Epistula *Le sujet*, 27 iul. 1946, ad R. P. IOSEPHUM ARCHAMBAULT S. J., praesidem coetus conventibus catholicorum « Semaines Sociales » in Canada apparandis (*AAS* XXXVIII [23 nov. 1946] p. 379).

T — Epistula *Sanctorum corpora*, 4 aug. 1946, ad E.mum S. R. E. Card. NASALLI ROCCA DI CORNELIANO, archiepiscopum Bononiensem, quem Legatum renuntiat ad translationem reliquiarum S. Dominici (*AAS* XXXVIII [21 dec. 1946] p. 420).

U — Constitutio Apostolica *Limana* (Icensis), 10 aug. 1946, qua nova « Icensis » dioecesis constituitur (*AAS* XXXIX [15 apr. 1947] p. 167).

V — Epistula *Libenti admodum*, 8 sept. 1946, ad E.mum S. R. E. Cardinalem CARO RODRIGUEZ, Archiepiscopum Sancti Iacobi in Chiliam, Legatum ad Concilium plenarium ex universo Chilensi Episcopatu indictum (*AAS* XXXVIII [21 dec. 1946] p. 421).

W — Nuntius radiophonicus *La particulière affection*, 14 sept. 1946, populo helvetico datus (*AAS* XXXVIII [23 nov. 1946] p. 373).

X — Allocutio, 17 sept. 1946, ad Patres Societatis Iesu in XXIX Congregatione generali electores (*AAS* XXXVIII [23 nov. 1946] p. 381).

Y — Allocutio, 22 sept. 1946, ad Patres delegatos ad Capitulum generale Ordinis Fratrum Praedicatorum, (*AAS* XXXVIII [23 nov. 1946] p. 385).

Z — Epistula *Siamo lieti*, 11 oct. 1946, ad E.mum S. R. E. Cardinalem PIAZZA, Patriarcham Venetiarum ac Praesidem Commissionis episcopalis moderatricis actionis catholicae Italicae, cuius statuta approbantur (*AAS* XXXVIII [21 dec. 1946] p. 422).

AA — Epistula *Proximo exeunte mense novembri*, 16 oct. 1946, ad E.mum Cardinalem STRITCH, Archiepiscopum Chicagiensem, XXV episcopatus annum feliciter explentem (*AAS* XXXIX [28 ian. 1947] p. 33).

BB — Litterae Apostolicae *Sacratissimum Iesu Cor*, 20 oct. 1946, quibus Venerabilis MARIA TERESIA DE SOUBIRAN, Societatis Mariae Auxiliatricis fundatrix, beata renuntiatur (*AAS* XXXIX [28 ian. 1947] p. 17).

CC — Epistula *Cum Athenaeum*, 23 oct. 1946, ad R. P. AUGUSTINUM GEMELLI, O. F. M., Catholici a S. Corde Iesu Athenaei Mediolanensis rectorem magnificum: XXV vertente anno ab eodem Athenaeo condito (*AAS* XXXVIII [21 dec. 1946] p. 424).

DD — Litterae Apostolicae *Veritatis Magister*, 27 oct. 1946, quibus Ven. TERESIA EUSTOCHIUM VERZERI, Instituti filiarum Sacrat. Cordis Iesu fundatrix, beata renuntiatur (*AAS* XXXIX [28 ian. 1947] p. 25).

EE — Allocutio, 30 nov. 1946, ad novum Reipublicae Foederalis Austriae Legatum Litteras publicas porrigentem (*AAS* XXXVIII [21 dec. 1946] p. 430).

FF — Epistula *Dulcis profecto senectus,* 8 dec. 1946, ad E.mum Cardinalem MERCATI, S. R. E. Bibliothecarium, octogesimum aetatis annum feliciter explentem (*AAS* XXXIX [28 ian. 1947] p. 34).

GG — Epistula *Novimus ex litteris,* 7 ian. 1947, ad Exc.mum P. D. IOSEPHUM FRANCIOLINI, episcopum Cortonensem: septimo elapso saeculo tum ab ortu Sanctae Margaritae tum ab obitu Beati Guidonis, Cortonae Protectorum (*AAS* XXXIX [15 apr. 1947] p. 170).

HH — Epistula *Perlibenter nuntium accepimus,* 10 ian. 1947, ad E.mum P. D. EMMANUELEM Card. ARTEAGA Y BETANCOURT, archiepiscopum Sancti Christophori de Habana, quem Legatum mittit ad Conventum Eucharisticum e tota natione Cubana Habanae celebrandum (*AAS* XXXIX [11 mart. 1947] p. 87).

II — Allocutio 12 ian. 1947, ad novum Legatum Argentinae (*AAS* XXXIX [24 febr. 1947] p. 56).

— Allocutio 22 ian. 1947, ad mulieres consociationis « Renovatio christiana » (*AAS* XXXIX [24 febr. 1947] p. 58).

KK — Allocutio 16 febr. 1947, ad novum Legatum Reipublicae Sinensis (*AAS* XXXIX [11 mart. 1947] p. 88).

LL — Nuntius radiophonicus *Our loving greetings to you,* 19 febr. 1947, alumnis scholarum catholicarum Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis datus ad sollicitandam caritatem erga pueros indigentes Europae et Asiae Orientalis, ne fame pereant (*AAS* XXXIX [29 mart. 1947] p. 127).

MM — Nuntius radiophonicus *La conciencia de Nuestro deber pastoral,* 23 febr. 1947, Christifidelibus Cubanae reipublicae datus, ob nationalem Conventum Eucharisticum Habanae coadunatis (*AAS* XXXIX [11 mart. 1947] p. 90).

NN — Consistorium secretum et Consistorium publicum 10 mart. 1947 (*AAS* XXXIX [29 mart. 1947] p. 105 et 113).

OO — Allocutio ad Legatum Reipublicae Libanensis, 17 mart. 1947 (*AAS* XXXIX [29 mart. 1947] p. 124).

12 - S. Congregatio Consistorialis

Acheruntinae et Materanensis. Decretum 11 aug. 1945, de finium dioecesium commutatione (*AAS* XXXVIII [21 dec. 1946] p. 438).

Bellunensis et Feltrensis. Decretum 12 ian. 1946, quo Bellunensis et Feltrensis episcopus obligatione residendi in urbe Feltrensi exoneratur (*AAS* XXXVIII [23 nov. 1946] p. 398).

13 - S. Congregatio de Propaganda Fide

De Broken Hill (Lusakensis). — Decretum 13 iun. 1946, de sedis et nominis mutatione (*AAS* XXXIX [24 febr. 1947] p. 66).

Mariannen. — Decretum 4 iul. 1946, quo Mariannenses insulae, Vicariatui Apostolico Guamensi adnexae, ditioni Delegati Apostolici Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis subiiciuntur (*AAS* XXXIX [11 mart. 1947] p. 95).

— Decretum 2 ian. 1947, de mutatione tituli Delegationis Apostolicae (*AAS* XXXIX [11 mart. 1947] p. 96).

14 - S. Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonizationis

1. *Bolivaren.* Decretum 8 febr. 1946, introductionis causae pro beatificatione Servae Dei MERCEDES A IESU MOLINA, fundatricis instituti Sororum a B. Maria Anna a Iesu (*AAS.* XXXVIII [21 dec. 1946) p. 440).

2. *Parisien.* Decretum 26 maii 1946, de miraculis pro canonizatione Beatae CATHARINAE LABOURÉ Virginis e Societate Puellarum Caritatis S. Vincentii a Paulo (*AAS* XXXVIII [21 dec. 1946] p. 443).

3. *Nullius Einsiedlen.* Decretum 12 iul. 1946, introductionis causae pro beatificatione Servi Dei MEINRADI EUGSTER, conversi professi O. S. B. (*AAS* XXXVIII [21 dec. 1946] p. 445).

4. *Derthusen.* Decretum 12 iul. 1946, introductionis causae pro beatificatione Servi Dei EMMANUELIS DOMINGO Y SOL, sacerdotis, fundatoris Congregationis Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum (*AAS* XXXIX [11 mart. 1947] p. 97).

5. *Parisien.* Decretum 8 dec. 1946, de Tuto pro canonizatione Beatae CATHERINAE LABOURÉ (*AAS* XXXIX [28 ian. 1947] p. 37).

6. *Taurinen.* Decretum 8 dec. 1946, de miraculis pro canonizatione Beati IOSEPHI CAFASSO, sacerdotis saecularis, Collegii Ecclesiastici Taurinensis moderatoris (*AAS* XXXIX [11 mart. 1947] p. 99).

7. *Taurinen.* Decretum 16 febr. 1947, de *Tuto* pro canonizatione Beati IOSEPHI CAFASSO, Confessoris ... (*AAS* XXXIX [29 mart. 1947] p. 132).

In sect. liturgica:

Preces pro Italica Republica, 26 nov. 1946, indicuntur post missam conventualem recitandae in ditionibus Italiae ad normam articuli 12 Pacti cum Apostolica Sede concordati (*AAS* xxxix [28 ian. 1947] p. 36).

15 - S. Congregatio de Seminariis etc.

Decretum 25 ian. 1947, quo Pontificia universitas catholica S. Pauli in Brasilia erigitur (*AAS* xxxix [29 mart. 1947] p. 134).

16 - Provisiones ecclesiarum.

Decretis S. C. Consistorialis praefecti sunt:

3 maii 1946, R. D. Colomannus Papp, cathedrali ecclesiae Iaurinensi.

4 sept. 1946, R. D. Ladislaus Banass, cathedrali ecclesiae Veszprimiensi.

1 oct. 1946, R. D. Ioannes B. Costa, e Soc. S. Franc. Sal., tit. episcopali ecclesiae Scilitanae, qui constituitur Praelatus Praelaturae *nullius* Portus Veteris

26 oct. 1946, Exc. P. D. Henricus Delgado Gomez, hactenus episcopus Almeriensis, cathedrali ecclesiae Pampilonensi.

26 oct. 1946, Exc. P. D. Ioannes Hervás Benet constituitur coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Iosephi Miralles y Sbert archiepiscopi, episcopi Majoricensis.

29 oct. 1946, R. P. Gerardus Sigaud Proença, e Soc. Verbi Divini, cathedrali ecclesiae Jacarezinhoensi.

2 nov. 1946, Exc. P. D. Geminianus Esorto, cathedrali ecclesiae Sinus Albi.

2 nov. 1946, R. P. Aemilius di Pasquo, cathedrali ecclesiae Sancti Ludovici in Argentina.

4 nov. 1946, R. D. Iosephus Beran, metropolitanae ecclesiae Pragensi.

8 nov. 1946, R. D. Leo Duval, cathedrali ecclesiae Constantinianae.

9 nov. 1946, Exc. P. D. Georgius Iosephus Donnelly, cathedrali ecclesiae Leavenworthiensi.

24 nov. 1946, Exc. P. D. Balbinus Santos y Olivera, hactenus episcopus Malacitanus, metropolitanae ecclesiae Granatensi.

26 nov. 1946, Exc. P. D. FELIX BECCARO, hactenus episcopus Nuorensis, cathedrali ecclesiae S. Miniati.

4 dec. 1946, R. D. ALOISIUS CAMMARATA, tit. episcopali ecclesiae Caesariensi in Mauret., qui constituitur Praelatus Ordinarius praelaturae *nullius* S. Luciae.

7 dec. 1946, Exc. P. D. ALBERTUS FLETCHER, cathedrali ecclesiae Petriculanae.

7 dec. 1946, Exc. P. D. ALOISIUS WILLINGER, hactenus episcopus Poncensis, tit. episcopali ecclesiae Bidensi, qui constituitur coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. PHILIPPI SCHER, Episcopi Montereyensis Fresnensis.

30 dec. 1946, Exc. P. D. VINCENTIUS SCHERER, metropolitanae ecclesiae Portalegrensi in Brasilia.

11 ian. 1947, R. D. DOMINICUS SAVARESE, cathedrali ecclesiae Vallensi in Lucania.

18 ian. 1947, Exc. P. D. ADALBERTUS SOBRAL, hactenus episcopus Pasqueirensis, metropolitanae ecclesiae S. Ludovici in Maragnano.

18 ian. 1947, R. D. SECUNDUS CHIOCCA, cathedrali ecclesiae Fulginatensi.

31 ian. 1947, R. D. IACOBUS LERCARO, metropolitanae ecclesiae Ravennatensi, cui unita est cathedralis ecclesia Cerviensis.

31 ian. 1947, R. D. IOSEPHUS MELAS, cathedrali ecclesiae Nuorensi.

8 febr. 1947, R. D. IOSEPHUS MASTERSON, metropolitanae ecclesiae Birmingamiensi.

8 febr. 1947, R. D. IOANNES PETIT, cathedrali ecclesiae Menevensi.

15 febr. 1947, R. D. IACOBUS FERGUS, cathedrali ecclesiae Achadensi.

15 febr. 1947, R. D. MARCUS CARROLL, Cathedrali ecclesiae Wichitensi.

17 febr. 1947, Exc. P. D. PETRUS THEAS, hactenus episcopus Montis Albani, ecclesiae cathedrali Tarbiensi et Lourdensi.

17 feb. 1947, R. D. PETRUS AUG. DOUILLARD ecclesiae cathedrali Suessionensi.

17 feb. 1947, R. D. ALBERTUS DROULERS ecclesiae cathedrali Ambianensi.

22 Mart. 1947, R. P. JOSEPHUS HASCHER, Congr. S. Spir., tit. episcopali ecclesiae Aeliensi, qui constituitur Praelatus *nullius* Jufuensis.

Decretis S. Congregationis pro Ecclesia Orientali praefecti sunt:

30 iul. 1946, Exc. P. D. PETRUS DIB, cathedrali ecclesiae Cahirensi Maronitarum, nuper erectae.

30 iul. 1946, R. P. ANDREAS VAN DEN BRONK, e Soc. pro mission. ad Afros, tit. episcopali ecclesiae Tentyritanae, qui constituitur Coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. IULII GIRARD, Vicarii Apostolici Deltae Nili.

30 iul. 1946, R. D. DANIEL IVANCHO, tit. episcopali ecclesiae Europensi, qui constituitur coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. BASILII TAKACH, Exarchi Apostolici pro fidelibus ruthenis byzantini ritus e Podocarpatia in Statibus Foederatis Americae septentrionalis.

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide praefecti sunt:

12 dec. 1946, R. P. CAIETANUS POLLIO, Pont. Inst. a SS. Petro et Paulo et a SS. Ambr. et Car. pro miss. ext. sodalis, metropolitanae ecclesiae Chaefomensi.

12 dec. 1946, R. P. ALBERTUS DE VITO (P. Conradus a Providenti), O. C. M. Cap., cathedrali ecclesiae Lucknowensi.

12 dec. 1946, R. P. DIONYSIUS EUGENIUS HURLEY, Oblat. B. M. V. Immac., tit episcopali ecclesiae Turuzitanae, qui constituitur Vicarius Apostolicus Natalensis.

12 dec. 1946, R. P. PETRUS BONNEAU, Congr. S. Spir., tit. episcopali ecclesiae Themisonensi, qui constituitur Vicarius Apostolicus de Douala.

12 dec. 1946, R. P. BERNARDUS STEWART tit. episcopali ecclesiae Ucrensi, qui constituitur hodierni episcopi Sandhurstensis Coadiutor cum successionis iure.

9 ian. 1947, R. P. LEOPOLDUS BRELLINGER, *S. J.*, cathedrali ecclesiae Chimsciensi.

9 ian. 1937 R. P. MICHAË OLCOMENDY, Soc. Paris. miss. ad ext. sodalis, cathedrali ecclesiae Malacensi.

9 ian. 1947, R. P. IOSEPH CABANA, Soc. Miss. Afr., tit. episcopali ecclesiae Sufetulensi, qui constituitur Vicarius Apostolicus Ugandensis.

6 febr. 1947, R. P. FRANCISCUS ALDEGUNDE DORREGO, O. F. M., tit. episcop. ecclesiae Fussalensi, qui constituitur hodierni Vicarii Apostolici Maroquensis Coadiutor cum iure successionis.

Decretis S. Congregationis de Propag. Fide nominati sunt:

25 oct. 1946, R. P. Hierotheus Valbuena Alvarez, O. Carm. Disc., Praefectus Apostolicus de Esmeraldas (in Aequatore).

8 nov. R. P. Venceslaus a Spoleto, O. M. Cap., Praefectus Apostolicus Solimões Superioris.

14 nov. 1946, R. P. Eugenius Carcagente, O. M. Cap., Praefectus Apostolicus S. Andreae.

28 nov. 1946,R. P. Gustavus Prévost, e Soc. pro Miss. ext. Queb., Praefectus Apostolicus de Lintung.

18 ian. 1947, R. P. Iacobus Buis, e Soc. Miss. S. Ios. de Mill Hill, Praefectus Apostolicus de Borneo Septentrionali.

Necrologium

14 mart. 1946, Exc. D. Augustus Grumel, episcopus Maurianensis.

16 iun. 1946 Exc. Aloysius Martinelli, archiepiscopus Amalphitanus.

6 aug. 1946, Exc. Damianus Ioannes Theelen, episcopus Nicopolitanus.

9 aug. 1946, Exc. Ioannes Simrak, episcopus Crisiensis.

9 aug. 1946, Exc. Leander Guido Le Floch, episcopus Aimerensis.

20 aug. 1946, Exc. Franciscus Gonzalez, episcopus Cuernavacensis.

11 sept. 1946, Exc. Ioannes Harty, archiepiscopus Casheliensis.

23 sept. 1946, Exc. Ugo Giubbi, episcopus S. Miniati.

27 sept. 1946, Exc. Franciscus Maria Arsenius Lemasle, vic. apost. Hué.

1 oct. 1946, Exc. Paulus de Huyn, patriarcha Alexandrinus Latin.

8 oct. 1946, Em. D. Card. Augustinus Parrado y Garcia, archiepiscopus Granatensis.

12 oct. 1946, Exc. D. Ignatius Canazei, episcopus Shiuchovensis.

22 oct. 1946, Exc. Ioannes Bapt. Morris, episcopus Petriculanus.

12 nov. 1946, Em. D. Card. Camillus Caccia Dominioni.

16 nov. 1946, Exc. D. Antonius Lega, archiepiscopus Ravennatensis episcopus Cerviensis.

18 nov. 1946, Exc. CHRISTIANUS WINKELMANN, episcopus Wichitensis.

19 nov. 1946, Exc. NICANOR MUTILOA, episcopus Tirasonensis et Administrator apostol. Tudelensis.

9 dec. 1946, Exc. GEORGIUS BARAKA, episcopus Miniensis Copt.

15 dec. 1946, Exc. NICOLAUS NABAA, episcopus Sidoniensis Melchit.

6 ian. 1947, Exc. EMMANUEL PRAT, episcopus Amoënsis.

17 ian. 1947, Em. D. Card. RODRIGUS VILLENEUVE, archiepiscopus Quebecensis.

3 febr. 1947, Exc. D. PETRUS DURIEUX, archiepiscopus Chamberiensis.

5 febr. 1947, Exc. ANTONIUS HILFRICH, episcopus Limburgensis.

13 febr. 1947, Exc. IOANNES VILLAR Y SANZ, episcopus Ilerdensis.

2 mart. 1947, Exc. LEOPOLDUS PREČAN, archiepiscopus Olomucensis.

17 mart. 1947, Exc. THOMAS HENRICUS McLAUGHLIN, episcopus Patersonensis.

3 apr. 1947, Exc. FERDINANDUS RICCA, episcopus Drepanensis.

7 apr. 1947, Exc. ARISTIDES ARAUJO PORTO, episcopus Montisclarensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

JOAQUIN CARDOSO, S. J., *Cuatrocientos novelistas bajo el prisma del dogma y la moral catolicos*, Mexici, Buena Prensa, 1946, 11,5×16,5 cm., 238 pag.

RAPHAEL MARTINEZ DEL CAMPO, S. I., *Theologia naturalis* (*Cursus philosophicus Collegii Maximi Ysletensis Societatis Iesu*, pars VI), 2a ed., Mexici, Buena Prensa, 1946, 13,5×21 cm., 434 pag.

Existentia Dei: Rectae viae ad Deum. Desviae semitae ad Deum. Itinera incerta aut incompleta. De atheismi possibilitate et malitia. Adventus ad Deum. — *Natura et attributa absoluta Dei.* — *Activitas Dei*: Scientia Dei. Voluntas Dei. Potentia Dei.

II - Ex periodicis

Collectanea Mechliniensia, XXXII (XVII), fasc. 2 (mart.). — V. HEYLEN, *Over Waardemoraal en Utilitarismus*, p. 113-125. — R. WAELKENS, *Adaptation et Tradition*, p. 126-144. — Fasc. 3 (maii). — P. THEEUWS, *Sacrale en profane Christenheid*, p. 257-269.

Commentarium pro Religiosis, XXV, fasc. 4-6 (iul.-dec.). — A. LARRAONA, C. M. F., Commentarium codicis: canono 568. Textus, historia iuris, redactio et interpretatio canonis p. 203-217.

Nederlandsche Katholieke Stemmen, XLIII, fasc. 1 (ian.). — P. J. HESKES, *Een pleidooi voor onze zieken*, p. 1-8. — Fasc. 3 (mart.). — W. H. VAN DE POL, *Kroniek van het Protestantisme*, p. 70-81. — Fasc. 4-5 (Apr. maii). — J. A. M. PREIN, *Het ont-*

staan van de huidige Romeinse Vorm-ritus, p. 104-114. — H. MULDERS, *Het H. Vormsel in stervensgevaar*, p. 114-121.

Razón y Fe, Ann. 1947, fasc. 2 (febr.). — I. ERRANDONEA, S. I., *El nuevo estatuto de la Accion catolica Italiana*, p. 105-108. — Fasc. 4 (apr.). — A. E. DE MAÑARICÚA, *¿Nulidad o disolucion de matrimonios?*, p. 295-310.

Revue diocésaine de Namur, Ann. 1946, nn. 5-6 (sept. nov.). — V. JACQUES, *a propos du nouveau psautier*, p. 223-238.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE LICEITATE ET OBLIGATIONE COMMITTENDI DUELLUM PUBLICUM

Postquam Benedictus XIV. Const. « Detestabilem » d. 10. Nov. 1752 (Denzinger n. 1491-1495) duellum privatum, i. e. auctoritate privata susceptum, damnavit, auctorum catholicorum sententiae, quae antea - ut videre est apud S. Alphonsum, Theol. Mor. III, n. 400 - in oppositas abierant partes, in unam doctrinam convenerunt. Auctores vero acatholici duelli privati liceitatem partim adhuc asserunt, partim negant; attamen secundum A. Vermeersch, Theol. Mor. II[3], n. 569 « ab aliquot annis, maxime post recens bellum (1914-1918) fortuna, etiam mundana, duellorum inclinare coepit. Erit tempus, ubi mirabuntur, quomodo adeo ineptum praeiudicium tam diu saevire potuerit ».

I. De *liceitate* duelli publici, i. e. auctoritate publica suscepti, Ecclesia iudicium expressum hucusque non tulit; attamen eiusdem illiceitatem non solum nunquam declaravit, sed illud - positis certis circumstantiis - licitum esse implicite etiam affirmavit. Etenim a) duellum inter David et Goliath (I Sam. 17, 1-51) nullus S. Pontifex, nullus theologus illicitum fuisse asseveravit. b) Idipsum dicendum de duello, de quo in Breviario die 28. Sept.: S. Wenzeslaus, Bohemiae dux, « cum ... ad singulare certamen adversus Radislaum, ducem Curiensem, eo fine acce-

deret, ut suorum saluti prospiceret, visi sunt Angeli arma ministrasse et dixisse: Ne ferias. Perterritus hostis, venerabundus procidens veniam exoravit ». c) Inde nullus theologus catholicus, qui non asserat duellum publicum per se esse licitum. S. Alphonsus (l. c.) affert verba Patris Busenbaum quin ea reprobet: « Duellum licet acceptare vel offerre ad conservandam aestimationem exercitus apud hostes eosque debilitandos (allusio ad Davidis certamen singulare!), vel ad terminandum bellum cum minore damno ». Aliquanto fusius Lehmkuhl, Theol. Mor. II[12], n. 1015: « Duellum publica auctoritate susceptum propter bonum commune licitum esse potest; illicitum tamen ex causa vana vel improportionata. Videl.: Iusta causa duelli solum bellum iustum est, aut ut finiatur, aut ut hostium provocantium insolentia frangatur [cf. Goliath!] propriique exercitus existimatio servetur apud hostes, apud proprios animus. Vide Gury-Ballerini I, n. 404 ex Sanchez, In Decal. 2, c. 39, n. 13 et 14. Videlicet causa publica contra hostem iudiciali sententia finiri nequit; quare nihil restat, nisi ut per pugnam finiatur; at si totus exercitus pugnare potest, loco omnium etiam singuli eligi possunt. Nihilominus dux ex alia ratione temere id committere nequit, ne videlicet certam spem victoriae cum dubio prorsus exitu singularis pugnae commutet ». Breviter et concinne pro more suo Génicot-Salsmans, Instit. Theol. Mor. I[13] n. 380: « Auctoritate publica susceptum duellum licitum est tantum, si intenditur bonum commune, quod sine periculo occisionis vel vulnerationis obtineri nequit, puta ad terminandum bellum cum minore damno ». Similiter Noldin-Schmitt, Summa Theol. Mor. II[28], n. 349: « Licita sunt duella, quae auctoritate publica suscipiuntur propter bonum commune, quod sine effusione sanguinis obtineri nequit; si enim exercitus contra exercitum auctoritate publica pugnare potest, id poterunt etiam pauci contra paucos vel unus contra unum. Unica causa boni communis, propter quam licite duellum suscipitur, haec est, ut finiatur aut praecavea-

tur bellum ». Secundum Aertnys-Damen, Theol. Mor. I 13, n. 585 « licitum est duellum auctoritate publica ob bonum commune assumptum, puta ad finiendum bellum. Ratio est, quia non apparet, cur duo vel pauci non possint congredi, cum toti exercitus id possunt; quin etiam id suadet humanitas, ad parcendum sanguini, bellique calamitates declinandas ». Similiter L. Wouters, Man. Theol. Mor. I, n. 749: « Duellum, publica auctoritate loco belli initum, licitum est. Quod enim auctoritas multis imponere potest, id etiam paucis licet committere; quin etiam praestat, paucos loco multorum nomine reipublicae certare (S. Alf. III, n. 400). Si tamen agmina valde inaequalia sunt, bonum commune videtur exigere, ut princeps agminis fortioris - modo bellum iuste gerat - bellum eligat, nisi praeferant inaequales ad certamen singulare eligere; at eiusmodi duella iam locum non habent ». Similem condicionem restringentem addit Vermeersch Theol. Mor. II3, n. 595, 2, b: « Non nimis absolute dicendum est, posse, auctoritate publica, bellum in paucorum duellum converti. Id enim tunc tantum licet cum is, qui ius suum prosequitur, non inde faciat condicionem suam deteriorem ». B. H. Merkelbach, Summa Theol. Mor. II3, n. 365 ita habet: « Publicum [duellum] licitum esse potest, si fiat propter bonum commune, ad debilitandos hostes, aut ad litem aut bellum finiendum inter duas gentes, cum minore damno, ne sanguis multorum effundatur; - non tamen semper, sed dummodo bono communi faveat aut saltem non noceat; si enim totus exercitus ad commune bonum defendendum potest contra alium exercitum dimicare, etiam duces convenire possunt, ut unus vel pauci adversus unum vel paucos pugnent ». In calce ad notam 2. addit: « Tres casus indicantur a Billuart, de Charitate, dis. 7, a. i. 5: Primus casus est, si is, qui iuste bellum gerit, se viribus inferiorem hosti sentiat, et esse aut confligendum et succumbendum aut duellandum, potest et acceptare et offerre duellum; quia bonum commune eo meliori modo quo potest defendit et

minus periculum eligit. Idem propter eandem rationem videtur dicendum, si dubius sit de victoria, nec sit spes restaurandi exercitum casu quo profligetur. - Secundus casus: si duces, attentis belli incommodis, bonorum detrimentis, multorum necibus, etc., utilius reputent reipublicae controversiam duello quam bello dirimere; tunc enim reputatur a pluribus duellum licitum ex parte eius qui bellum iustum gerit, modo tamen non fiat victoria magis dubia quam in bello. - Tertius casus est, si, ex hoc quod duellum ab hoste oblatum non acceptetur, fiat hostis audacior et potentior, alter deiectus et timidior, tunc etiam posse acceptari multorum est opinio. Et videtur in pari casu David pugnasse contra Goliath ».

Ex factis et textibus allegatis constat, duellum publicum e natura sua non esse illicitum; ut autem in concreto licitum dici possit, quasdam condiciones debere esse impletas:

1. Ad liceitatem certe requiritur aliqua ratio cohonestans; nam etiam in duello periculum vulnerationis vel occisionis consulto aditur; quod, cum homo non sit absolutus dominus corporis et vitae suae, Deus, vitae humanae dominus absolutus, non permittit, nisi adsit causa cohonestans.

2. Unica causa duellum publicum cohonestans est secundum moralistas omnes solummodo bonum commune; « illicitum est ex causa vana vel improportionata », notat Lehmkuhl.

3. Ipsum bonum commune duellum non reddit licitum, si idem bonum obtineri potest sine vulneratione vel occisione, sed tunc tantum, si absque periculo vulnerationis vel occisionis obtineri nequit, ut inculcant Génicot-Salsmans, Noldin-Schmitt.

4. Quoniam vulneratio et occisio ad bonum commune procurandum - abstrahendo a cruenta malefactoris punitione et cruenta sui ipsius defensione - solummodo in bello licite fieri possit, unica causa, ex qua ad bonum com-

mune licitum fit duellum publicum, est ipsum bellum aut terminandum aut etiam praecavendum, aut, ut quidam ex moralistis citatis asserunt, nixi exemplo Davidis, victoria certius obtinenda.

5. Non omne bellum antevertendum vel finiendum est causa sufficiens ad duellum publicum offerendum vel acceptandum, sed solummodo bellum iustum; bellum enim iniustum ne inchoare quidem licet, ergo neque eius loco fieri potest duellum. Et quando bellum objective iniustum coeptum est, eius iniustitia cognita dimittendum, non autem duello supplendum est. Hinc illa pars loco belli offensivi duellum offerre nequit, quae de belli iustitia non est certa; loco autem belli defensivi offerri et acceptari potest duellum, si bellum saltem probabiliter iustum est.

6. Loco belli iusti incipiendi vel finiendi tunc solum admitti potest duellum, si bellum alia ratione vitari vel finiri nequit. Ratio est haec, quod prae vulneratione et occisione vel unius vel paucorum omne aliud medium ad finem obtinendum efficax et licitum adhiberi debet, ut v. g. spontanea pacis propositio vel de pace conventio vel arbitri iudicium, cuius sententiae belligerantes se submittere spondent vel spoponderunt, seu si, ut habet Lehmkuhl, « causa publica contra hostem iudiciali sententia finiri nequit ».

7. Sunt auctores (Lehmkuhl, Vermeersch, Wouters, Merkelbach), qui aliam insuper exigunt condicionem impletam, ut duellum loco belli iusti inevitabilis admitti possit, nempe ne certa spes victoriae cum prorsus dubio exitu duelli commutetur vel ut communi bono faveat vel saltem non noceat. At quoad praxim dicendum est, nostris temporibus plerumque difficillimum esse, immo impossibile, determinare, quando habeatur certa spes victoriae maior ex una quam ex altera parte, ut luculenter demonstrare videtur historia bellorum recentium, in quibus subiectiva spes, immo certitudo victoriae miserrime fefellit. At etiamsi spei fidi possit, occurrere possunt adiuncta, ut

alicui nulla habita spei ratione, bello sit renuntiandum: quod obtinet, quando duae vel plures respublicae conventione inter se facta se obligaverunt ad eligendum in quolibet casu loco belli aliud medium, vel si duae respublicae inter sese pugnare volentes a tertia republica praepotente vel a societate quadam nationum bello cedere coguntur: certe his in casibus (sive ex iustitia sive ex amore erga bonum commune propriae reipublicae) non tenentur ad bellum gerendum, etsi forte subiectivam concipiant certam spem victoriae; nam amore boni universalioris, i. e. boni complurium nationum vel omnium populorum, quod per bellum in periculum vocatur, licite et (saltem) decenter renuntiatur bono minus communi, i. e. bono propriae reipublicae.

II. Haec de liceitate duelli publici. Quid autem de *obligatione*? Sufficitne statuere cum Wouters: « At eiusmodi duella iam locum non habent? » Vel potestne asseri, interdum posse esse sermonem de morali obligatione, loco belli iusti inevitabilis eligendi duellum publicum? Fortasse solummodo « praestat, paucos loco multorum nomine reipublicae certare » (Wouters), vel « id suadet humanitas, ad parcendum sanguini bellique calamitates declinandas » (Artnys-Damen)? **Theoretice** loquendo dicendum est per se existere obligationem gravem, loco belli iusti inevitabilis, committendi duellum; nam hodiedum bellum est tantum malum physicum, secum trahens tanta totque mala moralia, ut eius loco duellum, utpote in se licitum et possibile, quod tamen mala multo minora tum physica tum moralia affert, sub gravi eligi debeat. Ratio est plana: imperante (saltem) caritate de duobus malis minus est eligendum idque certo sub gravi, si unum, puta duellum, fere infinities minus malum est quam alterum, puta bellum. Ita theoretice.

Practice haec obligatio gravis hypothetica est et tunc tantum urgere incipit, si bellum de facto eliminari nequit ideo, quod illa nationum unio, de qua Benedictus XV. (23.

Maii 1921; AAS 12, 217), neque instituitur neque periculum belli superare in aliquo casu valet, et si neque respublicae illae, inter quas controversiae oriuntur, inter sese litem sine armis et pugnis componere consentiunt: tunc exurgit obligatio de duobus malis eligendi minus, loco belli duellum.

Nihil obstat, quominus sive nationum unio sive respublicae omnes et singulae, inter quas lites oriri possunt, pacta ineant de eligendo, belli loco, duellum; immo huiusmodi pacta omnino, lege morali caritatis imperante, ineunda sunt, si timeri debet, ne lites internationales aliquando sine armorum congressu finiri nequeant. Et fortasse non deerunt, qui, utpote falso honoris publici conceptu imbuti, autumant honori reipublicae non satisfieri, si respublica, quamvis forte potentissima, ius suum ita committat arbitris, ut sine armis et proeliis iuri suo, quod armis prosequi contendit, renuntiet: huiusmodi homines certe malunt saltem duello rem committere, si bellum gerere ex quacunque ratione non possunt.

Hic tamen tangenda videtur illa difficultas sc., quod fortasse nonnemini absonum videtur, fortunam totius reipublicae committere illis paucis, qui arma in duello conserunt, ita ut, si hi pauci duello vincantur, tota respublica damna victis imminentia ferre teneatur. At opponi potest quaestio: nonne absonum est fortunam totius reipublicae committere bello, de cuius felici exitu vix unquam, nostris praesertim temporibus, quibus in dies nova arma eaque terribiliora semper inveniuntur, fabricantur atque, abiectis religionis christianae mandatis et doctrinis, etiam facile applicari contingit, adeo ut, si proprius exercitus succumbat, tota respublica tolerare debeat illud « vae victis »?

Opponi etiam potest contra allatam obiectionem: Nonne absonum est, fortunam totius reipublicae committere uni vel paucis gubernantibus, regentibus, legislatoribus, deputatis, adeo ut, si hi perperam regant vel gubernent

vel leges ferant, tota respublica damna inde promanantia ferre teneatur?

Hisce absoluta esse videtur quaestio moralis de liceitate et obligatione hypothetica duelli. Artis politicae est determinare practica momenta coniuncta, v. g. quot numero ex utraque parte in duello publico dimicare teneantur, quinam hi esse debeant, an fortasse illi gubernantes et legislatores, qui bellum vel duellum patrandum esse decernunt, adeo, ut qui « nomine populi » bellum vel duellum indicunt, ipsi quoque - applaudente orbe terrarum - « nomine populi » bellum seu duellum committere debeant etc.

Sine dubio omnium hominum eruditorum et cordatorum hoc erit votum, ut quando aliqua ratione bellum eliminari nequeat, eius loco lites finiantur duello, ut ingentes expensae militares ingensque numerus malorum tum physicorum tum moralium, quorum fons est quodlibet bellum, tandem aliquando evitentur.

At etiamsi ad communem generis humani pacem stabiliendam omnes vires suas conferre parati sint, una manet difficultas: singulae respublicae ad internam domesticamque pacem firmandam indigent viribus et copiis militaribus; at, quamdiu apparatus bellici, etsi forte communi consilio diminuti, extant, semper manet periculum, ne maior (ergo maiore instructa apparatu bellico) respublica, posthabitis etiam sanctissimis conventionibus, data opportunitate vincendi, bellum arripiat. Cui periculo superando genus humanum impar est et erit, usquedum redeat ad integram fidem a Christo revelatam et ab Ecclesia catholica propositam.

I. B. Umberg S. I.

DE ORIGINE PERSONAE MORALIS IN ECCLESIA

In Ecclesia persona moralis oriri nequit nisi per actum competentis superioris. Non possunt fideles constituere associationem vel creare fundationem, cui ratio personae moralis competeret independenter et antecedenter ad actum superioris legitimi. Etsi enim talis actus consistere potest in dispositione generali iuris, secundum quam in certis casibus eo ipso oritur persona moralis, tamen interventus auctoritatis ecclesiasticae in origine personae moralis etiam in hisce casibus non habet tantum rationem *recognitionis* personae moralis iam exsistentis; potius habet semper rationem *constitutionis* personae moralis quae antea qua talis nondum exsistebat[1].

Quaeri autem potest, utrum actus constitutivus pro origine personae moralis in Ecclesia sit necessarius ex ipsa rei natura an potius lege positiva Ecclesiae. Revera quoad hanc quaestionem non una est canonistarum sententia. Interdum tenent etiam in *Statu* personam moralem oriri non posse nisi per actum constitutivum auctoritatis publicae. Una tantum habetur societas perfecta ordinis naturalis, scl. Status; omnes societates imperfectae infra Statum ab eo dependent et ita personalitatem iuridicam acquirere possunt tantum dependenter ab auctoritate publica suprema, i. e. per actum eius constitutivum.

Similiter explicatur origo personae moralis in *Ecclesia.* Etiam in ordine spirituali una tantum habetur societas perfecta, scl. Ecclesia, orta per actum positivum divinum fundationis; omnes aliae societates infra Ecclesiam

---

[1] Can. 100 § 1.

qua imperfectae tantum dependenter ab auctoritate publica Ecclesiae personalitatem iuridicam acquirere possunt. Necessitas actus constitutivi derivatur igitur in hac conceptione ex *dependentia imperfecti a perfecto* eiusdem ordinis; eadem est ratio, ob quam in ordine naturali et in ordine spirituali persona moralis tantum per constitutionem ex parte auctoritatis competentis oriri potest [2].

Hanc autem argumentationem alii non admittunt vel saltem ab ea abstrahunt. Quomodocumque explicetur origo personae moralis ordinis naturalis — in Ecclesia agitur de persona morali *ordinis supernaturalis*. Haec est ratio, ob quam in Ecclesia persona moralis oriri nequit secundum ius naturale tantum, sed semper requiritur interventus positivus auctoritatis legitimae. Origo personae moralis in Ecclesia igitur iure positivo Ecclesiae determinanda est [3].

---

[2] Cf. e. g. *G. Michiels O. M. Cap., Principia generalia de personis in Ecclesia,* Lublin 1932, 454s et 347 nota 1: « Ut elucet ex argumentatione nostra, nobis videtur necessitatem actus auctoritatis ecclesiasticae personalitatis moralis vere concessivae repetendam esse ex intima personae moralis natura, non modo in quantum ecclesiastica seu supernaturalis est, sed simpliciter in quantum est persona moralis, ita ut necessitas illa quoad omnem personam moralem, etiam illam quae in societate civili exsistit, sit affirmanda... Patet tamen quod necessitas illa quoad personas morales in Ecclesia maximam accipit corroborationem ratione specialis earum indolis supernaturalis ». *M. Conte O. M. Cap., Institutiones iuris canonici,* vol. I. Taurini 1928, 147 et 151 idem affirmat pro personae moralis publicae constitutione. Notandum tamen cum Michiels, o. c. 346 nota 2, in Ecclesia non haberi nisi personam moralem proprie dictam, ideoque non admitti distinctionem inter personam moralem publicam et privatam.

[3] Cf. e. g. *F. Cavagnis, Institutiones iuris publici ecclesiastici,* vol. III. Romae 1906, n. 363: « Quaeritur autem an haec personalitas abstracta ab individuis possit in Ecclesia constitui voluntate privatorum, quamvis subordinata ipsi Ecclesiae, adeo ut Ecclesia tantum agnoscat quod iam existit, si nihil obstet. Et quidquid sit in ordine naturali, de quo infra, certum est id non posse fieri in Ecclesia; quia personalitates in Ecclesia, cum sint ei homogeneae, sunt supernaturales. Iamvero ad id quod est supernaturale, homo non habet proportionem per se, sed eam accipit a Deo, facto positivo, sive immediate sive mediate ». *P. Maroto, Institutiones iuris canonici,* tom. I. Romae 1921, n. 458: « In Ecclesia, quae est societas supernaturalis, privatae

Haec ratio interdum tamquam non peremptoria habetur [4]. Attamen nobis videtur illa esse ratio magni ponderis, quae non tantum necessitatem actus constitutivi ex parte auctoritatis pro origine personae moralis in Ecclesia sufficienter explicat, sed insuper clarissime indolem specialem personae moralis in Ecclesia indicat, qua excluditur personam moralem in Ecclesia eodem modo oriri ac personam moralem ordinis naturalis, necnon ex modo originis personae moralis in Ecclesia illationem fieri posse ad originem personae moralis ordinis naturalis.

Nequaquam enim *ordinatio ad finem supernaturalem*, quae convenit personae morali in Ecclesia, est aliquid mere extrinsecum personae morali, sed ipsam eius naturam specificat. Hoc constat ex eo, quod omni personae morali in Ecclesia ratio personalitatis convenit tamquam participatio in *personalitate ipsius Ecclesiae.*

« Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina » [5]. Ec-

---

personae constituere non valent personam moralem, sed ad ipsam constituendam opus est decreto publicae auctoritatis, secus ac ex iure naturae pro civili societate accidit ». *F. X. Wernz S. I., P. Vidal S. I., Ius canonicum*, tom. II. Romae 1928², n. 27: « Can. 99, ubi duplex species personae moralis recensetur, aperte traditur, quod debent esse publica auctoritate constitutae. Hoc quidem non pertinet ad conceptum personae moralis ut sic; quippe adsunt personae morales, quae natura sua constant, velut Status, ideoque tales sunt independenter ab eo quod ab aliqua auctoritate sint constitutae. At in Ecclesia quaecumque personae morales iure divino non sint tales ex ipsa Ecclesiae constitutione, illum characterem personae moralis habere non possunt nisi a legitima auctoritate ecclestica: nam persona moralis ecclesiastica est subiectum iurium quae dicunt relationem ad finem supernaturalem Ecclesiae i. e. ad publicum bonum religiosum, cuius omnis cura concredita est Ecclesiae seu ecclesiasticae auctoritati ».

[4] *B. Ojetti S. I., Commentarium in codicem iuris canonici*, II. Romae 1929, 124: « Verum, quamvis ipse quoque, ut omnes, maximi faciam tanti viri auctoritatem (Cavagnis), hanc rationem intelligere non valeo, nisi ad summum supernaturalitatem in latissimo quodam sensu sumamus, prout omne quod in Ecclesia fit, ad finem supernaturalem directe vel indirecte dirigitur ».

[5] Can. 100 § 1.

clesia fundatur, ut opus Christi continuet, i. e. ut Deo cultum legitimum exhibeat necnon ut homines ad Deum visione supernaturali possidendum perducat. Ecclesia, ut tali officio fungatur, indiget multis mediis, i. e. facultate docendi, dirigendi homines, communicandi illis mysteria divina etc. Facultas moralis possidendi, agendi vel faciendi aliquid constituit ius subiectivum. In ipsa fundatione igitur Ecclesiae imponitur officium, ad implendum officium ei omnia iura necessaria attribuuntur. Iamvero in ordine iuridico omnis et sola persona est subiectum iurium et officiorum. Proinde ipsa ordinatione divina, i. e. ipsa eius constitutione Ecclesia habet rationem personae, et quidem personae moralis, quia unitas, suppositum, quod ad constituendam personam requiritur, in hoc casu non est ordinis physici, sed ordinis moralis, scl. est unitas in ordine activitatis intentionalis [6].

Haec Ecclesiae personalitas secundum ea quae diximus, derivatur ex fine supernaturali, ad quem obtinendum Ecclesia fundatur et officiis ac iuribus munitur. Iamvero talis finis Ecclesiae non est mere extrinsecus. Est extrinsecus, quatenus ultimatim Ecclesia est propter gloriam Dei et aeternam beatitudinem hominum. Haec bona posita sunt extra Ecclesiam, Ecclesiam transcendunt. Hinc verum est quod hic *finis transcendens* qua talis Ecclesiae non necessario reddit supernaturalem ipsam eius personalitatem. Immo in hoc ordine concreto salutis gloria Dei et aeterna beatitudo hominum est etiam finis transcendens cuiusvis societatis etiam ordinis naturalis, quae hac ultima eius destinatione non induit indolem supernaturalem.

Attamen *differentia inter societatem naturalem et Ecclesiam* habetur ratione finis immanentis. Haec differentia consistit in eo, quod in *societate naturali finis immanens*, bonum commune suam indolem naturalem non obstante fine transcendente supernaturali conservat; conse-

[6] Cf. *G. Gundlach S. I., Zur Soziologie der katholischen Ideenwelt und des Jesuitenordens*, Freiburg 1927, 8 cum nota 9.

quenter etiam ipsa activitas socialis, ipsa officia et iura manent in ordine naturali [7]. E contra in *Ecclesia finis immanens*, bonum commune induit indolem finis transcendentis. Beatitudo enim hominum supernaturalis, quae in altera vita perfecte habetur, in hac vita inchoatur; ipsa essentia vitae supernaturalis — consortium divinae naturae, filiatio divina adoptiva — in statu viae iam habetur, etsi modo imperfecto. Iamvero tota activitas socialis Ecclesiae ordinatur in hanc vitam supernaturalem hominibus conferendam, conservandam, augendam [8]. Activitas Ecclesiae externa et socialis ordinatur semper in vitam eius internam, *supernaturalem*. Cultus divinus, administratio sacramentorum, praedicatio verbi divini, impositio praeceptorum — haec omnia procedunt e vita interna Ecclesiae, tendunt in vitam internam [9]. Vita Ecclesiae externa est functio vitae internae, vitam internam manifestat. Vita Ec-

---

[7] *W. Bertrams S. I., Die Eigennatur des Kirchenrechts, in: Gregorianum 1946*, 545: « Gewiss hat auch das weltliche Recht insofern ein übernatürliches Ziel, als in der konkreten Heilsordnung alle Gemeinschaftsgüter *letztlich* Dienstcharakter haben in bezug auf das transzendente Ziel des Menschen, die übernatürliche Vereinigung mit Gott. Aber dieses transzendente Ziel hebt die *immanente Eigenständigkeit und Eigengesetzlichkeit* der natürlichen Gemeinschaften nicht auf, es nimmt ihnen nur den Charakter des Höchstwertes, der Absolutheit, wie sie dem letzten Ziel des Menschen zukommt, dem sie indirekt, d. h. über die Menschen, die die Gemeinschaft bilden und um deren letzten Zieles willen, dienen müssen; direkt intendieren sie an sich natürliche Werte ».

[8] *W. Bertrams, S. I., Das Privatrecht der Kirche, in Gregorianum 1944*, 306: « Das Eigenziel der Kirche, ihr Gemeingut, besteht also darin, solche Bedingungen des übernatürlichen Lebens zu schaffen, die es den Menschen ermöglichen, das übernatürliche Leben der Gnade, als Voraussetzung für die jenseitige Gottschau, zu erhalten und zu vermehren ». Inde de potestate ecclesiastica dicit *Suarez, De Legibus*, Lib. IV. Cap. VIII. n. 3: « Potestas ecclesiastica supernaturalis est: ergo per se et natura sua tendit in supernaturalem finem, sive futurae vitae, sive praesentis; hi enim ita sunt inter se connexi et subordinati, ut non possit unus ab altero separari: ergo in hoc fine maxime differt haec potestas a potestate civili, quae mere naturalis est, et tantum ad finem naturalem ex se tendere potest ».

[9] Cf. Suarez, o. c. Cap. I. n. 8; Cap. VIII. n. 3 et 4. Bertrams, Eigennatur 543.

clesiae duobus elementis constituitur quam intime connexis, elemento interno et externo; nam activitas externa principio vitae internae informatur[10]. Proinde activitas socialis Ecclesiae unitatem constituit cum vita interna, supernaturali eius: *activitas socialis est elementum constitutivum vitae Ecclesiae supernaturalis.* Activitas socialis Ecclesiae propter hanc connexionem essentialem cum vita interna etiam ipsa habet *indolem supernaturalem* [11].

Iamvero activitas socialis Ecclesiae habetur per exercitium officiorum et iurium Ecclesiae. Hinc ipsa officia et iura sunt ordinis supernaturalis; ipsa personalitas Ecclesiae est ordinis supernaturalis.

Si autem hoc obtinet, idem dicendum est de quacumque persona morali infra Ecclesiam. Personae morales in Ecclesia constituuntur, ut sint competentes pro determinata parte vitae Ecclesiae, ut infra certum ambitum activitatis ecclesiasticae ad *bonum commune Ecclesiae* effi-

---

[10] *Pius XII., Litterae Encyclicae*: *Mystici Corporis Christi. AAS 1943*: « In mystico, de quo agimus, Corpore conspirationi huic internum aliud adiungitur principium, quod tam in universa compage, quam in singulis eius partibus reapse exsistens virtuteque pollens, talis est excellentiae, ut ratione sui omnia unitatis vincula, quibus vel physicum vel morale corpus copuletur, in immensum prorsus evincat. Hoc est, ut supra diximus, aliquid non naturalis, sed superni ordinis, immo in semet ipso infinitum omnino atque increatum: Divinus nempe Spiritus ». (222) « Nulla igitur veri nominis oppositio vel repugnantia haberi potest inter invisibilem, quam vocant, Spiritus Sancti missionem, ac iuridicum Pastorum Doctorumque a Christo acceptum munus; quippe quae, — ut in nobis corpus animusque — se invicem compleant ac perficiant, et ab uno eodemque Servatore nostro procedant, qui non modo divinum afflando halitum dixit: 'Accipite Spiritum Sanctum', sed etiam clara voce imperavit: 'Sicut misit me Pater, et ego mitto vos'; itemque: 'Qui vos audit, me audit' ». (224)

[11] « Eben weil 'Rechtskirche' und 'Geistkirche' erst zusammen *die* Kirche bilden, eben weil das äussere und das innere Leben der Kirche erst zusammen das wahre, volle, ganze Leben der Kirche ausmachen, eben weil 'Rechtsleben' und 'Geistleben' eine Einheit bilden, steht das Kirchenrecht nicht nur in äusserer Beziehung zum übernatürlichen Leben der Kirche; es ist dessen integrierender Bestandteil, es ist selbst übernatürlicher Natur ». Bertrams, Eigennatur 544.

ciendum cooperentur. Talis pars potest esse corpus sociale, e. g. ordo religiosus, capitulum canonicorum; territorium, e. g. dioecesis, paroecia; summa bonorum vel simpliciter summa normarum ac officiorum determinato fini immediato destinata, e. g. ecclesia, beneficium, seminarium. Itaque activitas propria personae moralis secundum differentiam finis immediati et compositionis internae (persona moralis collegialis, localis, realis) multum differt, attamen semper confert ad bonum commune Ecclesiae [12], quod — uti diximus — habet indolem boni supernaturalis. Hinc iura et officia etiam personae moralis infra Ecclesiam sunt ordinis supernaturalis; i p s a p e r s o n a l i t a s p e r s o n a e m o r a l i s i n E c c l e s i a e s t o r d i n i s s u p e r n a t u r a l i s.

Verum quidem est indolem supernaturalem non se manifestare eadem claritate in diversis speciebus personae moralis ecclesiasticae. Activitas enim socialis propria personae moralis ad vitam supernaturalem relationem habere potest magis vel minus directam et immediatam [13]. Exercitium iurisdictionis spiritualis, e. g. per capitulum cathedrale, est activitas natura sua spiritualis; directe ordinatur in bonum supernaturale. Saepe autem officia et iura personae moralis habentur circa bona natura sua temporalia, e. g. in aedificium, in dotem beneficii etc. Activitas, quae in tali casu exercetur, directe intendit bonum temporale; inde non apparet directe *character supernaturalis* huius activitatis, quem tamen semper habet, quia Ecclesia iura et officia circa bona temporalia habet in tantum in quantum haec elementum necessarium boni communis Ecclesiae supernaturalis constituunt. Hinc natura bonorum circa quae activitas socialis Ecclesiae exercetur, potest esse temporalis; hoc sensu activitas socialis Ecclesiae ad vitam su-

---

12 Cf. can. 100 § 1 et can. 1489 § 1, ubi est sermo de fine religioso vel benefico (caritatis sive spiritualis sive temporalis) personae moralis ecclesiasticae.

13 Cf. Bertrams, Eigennatur 547 ss.

pernaturalem relationem habere potest tantum mediatam. In quantum autem omnis activitas socialis Ecclesiae directe et immediate ordinatur in bonum commune Ecclesiae supernaturale efficiendum, iura et officia personae moralis in Ecclesia versantur semper circa bona — nisi ipsa natura sua spiritualia — saltem ex tali destinatione supernaturalia. *Differentia igitur indolis supernaturalis* in diversis speciebus personae moralis ecclesiasticae explicatur ex *differentia naturae bonorum* — prouti natura sua sunt spiritualia vel temporalia — quae obiectum activitatis personae moralis constituunt, quin ita ipsa indolis supernaturalis personae moralis ecclesiasticae auferatur.

Cum autem ita ipsa personalitas omnis personae moralis in Ecclesia sit ordinis supernaturalis, clarum est quod non potest oriri nisi per *actum constitutivum* auctoritatis legitimae ecclesiasticae. Vita enim supernaturalis essentia sua naturam humanam excedit; non habetur in natura humana ulla exigentia huius vitae, non potest natura humana hanc vitam constituere aut efficere. Ordo supernaturalis est ordo gratiae et qua talis donum Dei gratuitum. Haec est ratio, ob quam « *baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona* cum omnibus christianorum iuribus et officiis » [14]. Etsi homo actibus suis se disponere debet ad iustificationem, ad vitam supernaturalem recipiendam, tales actus hominis ex se non valent mereri de condigno gratiam supernaturalem. Requiritur actio positiva ex parte Ecclesiae [15], requiritur baptisma, quo ultra

---

[14] Can. 87.

[15] Administratio baptismatis, sicuti omnium sacramentorum, a Christo Domino concreditur Ecclesiae. Ita in omni baptismate, saltem de facto, haberi debet intentio faciendi quod facit Ecclesia. Consequenter homo baptismate per se semper aggregatur Ecclesiae Catholicae. « Quicumque ergo characterem baptismalem in valido baptisma receperunt Ecclesiae in perpetuum obligantur eiusque potestati subiiciuntur: ipsi quoque haeretici et schismatici, sive qui in secta haeretica et schismatica baptizati sunt, sive qui postea ad eam defecerunt, vi cha-

omne meritum hominis confertur vita supernaturalis. Hinc soli baptizati constituuntur in ordine supernaturali, soli baptizati sunt subiecta iurium et officiorum in ordine supernaturali; soli baptizati gaudent personalitate in Ecclesia Christi.

Persona moralis non est capax recipiendi vitam supernaturalem gratiae, non est capax baptismatis. Attamen in Ecclesia etiam ipsa, secundum ea quae diximus, gaudet personalitate supernaturali. Sicuti igitur homo physicus nulla sua activitate personalitatem in ordine supernaturali acquirere potest, ita non sufficit ulla activitas humana socialis ad constituendam personalitatem moralem in ordine supernaturali. Unio aliqua baptizatorum in ordine ad consequendum finem supernaturalem non haberet iura, quae singulorum baptizatorum iura excederent. Talis unio forte concipi posset ad analogiam contractus societatis; proinde ita non constitueretur novum subiectum iurium; ad summum sermo esse posset de persona morali iuris privati (de qua tamen in Codice iuris canonici nulla fit mentio). Ut constituatur novum subiectum iurium, *requiritur potestas* in illo ordine, in quo iura conduntur. Iamvero in ordine supernaturali, in Ecclesia, potestas non est apud fideles qua tales; tota potestas hierarchiae Ecclesiae concreditur a Christo Domino. Neque ad ipsam naturam vitae supernaturalis pertinet facultas creandi novum subiectum iurium. Nam, non tantum non probatur necessitas novi subiecti iurium, ut fideles finem supernaturalem consequi possint, sed etiam hac necessitate probata haberetur quidem *obligatio ex parte Ecclesiae* concedendi tali subiecto necessario capacitatem iuridicam, non autem ipsi fideles illam ex se creare possent, quia baptisma qua tale tantum dat ius ad *recipienda* bona supernaturalia, non autem ad

---

racteris, non ad hanc sectam, sed ad solam Ecclesiam catholicam iure pertinent, quamvis de facto veluti oves extra dominicum gregem vagantes ab ea exclusi sunt ». Wernz, Vidal, o. c. 2.

constituenda iura [16]. Sicut igitur homo physicus persona in Ecclesia constituitur baptismate, ita *persona moralis in Ecclesia constituitur actu positivo* competentis auctoritatis ecclesiasticae, sive hic actus habetur ipso iuris praescripto (i. e. lege positiva), sive per formale decretum [17].

Ratio ob quam ad originem personae moralis in Ecclesia requiritur actus positivus auctoritatis competentis, est igitur eius indolis supernaturalis. Haec autem etiam sufficit ad explicandam necessitatem talis actus. Proinde non possumus admittere argumentationem, secundum quam et in Ecclesia et in Statu persona moralis oriri nequeat nisi per actum constitutivum auctoritatis publicae ob necessariam dependentiam imperfecti a perfecto eiusdem ordinis. Huius quidem theoriae propositio, evolutio ac propagatio ascribitur — non sine ratione [18] — decretalistis mediaevalibus. Attamen attendendum est decretalistas esse in hac re *sub influxu iuris Romani*, quatenus ius Romanum insistit in dependentia omnis societatis, collegii vel corporis a potestate publica [19]. Haec autem conceptio Romana tam facile admittitur a decreta-

---

[16] Cf. can. 682: « Laici ius habent *recipiendi* a clero, ad normam ecclesiasticae disciplinae, spiritualia bona et potissimum adiumenta ad salutem necessaria ».

[17] Can. 100 § 1.

[18] Cf. *O. Gierke, Das deutsche Genossenschaftsrecht*, Dritter Band, Berlin 1881, § 8: Die Korporationstheorie der Kanonisten. Quoad nostram quaestionem cl. auctor concludit ita: « Jedenfalls hatten so die Kanonisten in die Korporationslehre den Gedanken eingebürgert, dass die Korporationsrechte und vor allem die eigne Rechtssubjektivität eines Verbandes Ausfluss obrigkeitlicher Verleihung seien. Eine *concessio superioris*, und zwar der Regel nach eine Spezialkonzession für den einzelnen Verband, möglicherweise auch eine gesetzliche Generalkonzession ist es, welche die universitas als solche konstituiert, sie zur juristischen Person macht ». Ibidem 290. De cetero cl. auctor omnino admittit conceptionem decretalistarum de natura corporationis evolutam esse sub influxu iuris Romani.

[19] Neque societas neque collegium neque huiusmodi corpus passim omnibus habere conceditur: nam et legibus et senatus consultis et principalibus constitutionibus ea res coercetur: paucis admodum in causis concessa sunt huiusmodi corpora. (*Gaius*) *D 3, 4, 1*.

listis, quia in Ecclesia revera persona moralis natura sua tantum actu auctoritativo oriri potest; a. v. structura personae moralis in Ecclesia habetur tamquam structura personae moralis simpliciter. Haec theoria deinde apud civilistas decursu saeculorum magis magisque fit communis[20]; evolutio *conceptionis modernae de Statu* — tendentiae in centralisationem potestatis publicae, in semper maiorem influxum statalem in omnem partem vitae publicae — immanenti virtute ducit ad hanc conceptionem de dependentia omnis personae moralis in Statu a potestate statali et consequenter ad conceptionem de necessitate actus constitutivi auctoritatis publicae ad originem personae moralis. Tota enim vita socialis publica habetur tamquam vita statalis. Eodem fere modo sicuti persona moralis in Ecclesia participat de personalitate Ecclesiae, persona moralis civilis participat de *personalitate iuridica Status*[21].

Pro Ecclesia autem haec theoria — in qua evolvenda ipsi decretalistae magnam partem habuerunt — habet *consequentias vere funestas*. Si enim tota vita socialis publica a Statu procedit, sub influxu Status manet, necnon in Statum ordinatur, cur non etiam vita religiosa, vita Ecclesiae? Status modernus non tantum negat omnem dependentiam ab Ecclesia, quinimmo in proprio territorio dependentiam Ecclesiae a potestate statali affirmat. Haec est ratio, ob quam leges civiles de acquirenda personalitate iuridica etiam applicantur ad personas morales ecclesiasticas: gaudent personalitate iuridica in foro civili in tantum in quantum per potestatem publicam civilem ea mu-

---

[20] Cf. Gierke, o. c. 368 ss, 436 ss.

[21] « Soweit überhaupt im Mittelalter eine Fortbildung der Korporationstheorie stattfand, bewegte sie sich in der Richtung auf das Ziel einer Verbandsauffassung, für welche nur der Staat Quelle und Subjekt des öffentlichen Rechts, die Korporation dagegen hinsichtlich der mit ihr verknüpften publicistischen Rechtssphäre nichts als eine delegierte staatliche Instanz, und lediglich für das Gebiet des Privatrechts ein nach dem Bilde der Individuen künstlich geformtes eignes Rechtssubjekt ist ». Gierke, o. c. 643.

niuntur. Ita haec theoria permittit suppressionem institutorum ecclesiasticorum et restrictionem liberae activitatis Ecclesiae simplici praetextu, quod haec fiunt in obsequium legis, quae omnes — i. e. non tantum instituta ecclesiastica — ligat[22].

Tales sequelae funestae theoriae de necessitate actus constitutivi ex parte auctoritatis publicae ad originem personae moralis ex se quidem non constituunt argumentum peremptorium contra eius genuinitatem; attamen non possunt non creare grave aliquod praeiudicium. Revera nobis videntur illi theoriae ex natura rei non advenire argumenta valida; immo tenemus naturam vitae socialis exigere possibilitatem originis personae moralis ordinis naturalis, quin intercedat actus constitutivus ex parte auctoritatis publicae.

Imprimis hoc affirmandum est de *societate naturali necessaria,* praesertim de familia. Societas naturalis est necessaria, quia prosequitur bonum pro homine necessarium; tota eius activitas dirigitur ad hunc finem obtinendum. In quantum igitur finis est necessarius, in tantum tali societati etiam media ad finem necessaria debentur ipsa natura rei; a. v. talis societas est *subiectum iurium et officiorum ex natura rei;* eo ipso quod est, gaudet persona-

---

[22] Historia moderna de relationibus inter Ecclesiam et Statum abundat factis, quae demonstrant hanc theoriam saepissime in praxim deductam esse. Inde in Concordatis modernis saepe habentur dispositiones, quibus personalitas iuridica in foro civili institutorum ecclesiasticorum ordinatur; a. v. non recognoscitur simpliciter persona moralis ecclesiastica in foro civili. Cfr. e. g. inter alia Concordatum Bavaricum (29.3.1924) Art. 2 (*J. M. Restrepo S. I., Concordata regnante Sanctissimo Domino Pio PP. XI. inita.* Romae 1934, 44 ss); Concordatum Polonicum (10.2.1925.) Art. 16. (o. c. 116 s); Concordatum Lithuanicum (27.9.1927.) Art. 17. (o. c. 166 s); Concordatum Italicum (11.2.1929.) Art. 29, 31. (o. c. 296 ss, 308s); Concordatum Rumanicum (10.5.1927.) Art. 9 cum interpretatione 3.5.1932. (o. c. 390 s, 476 ss); Concordatum Germanicum (20.7.1933.) Art. 13. (o. c. 562 ss); Concordatum Austriacum (5.6.1933.) Art. 10, 13. (o. c. 640 ss, 646 ss).

litate iuridica. Ita e. g. familia habet ius ad propriam vitam, ad omnia media ad hanc vitam necessaria[23].

Si autem agitur de *societate libera*, i. e. de societate, quae bonum prosequitur non undequaque necessarium, argumentum tamen non multum differt. Nam ipsa *tendentia socialis* homini est essentialis; ita omnia fere bona humana activitate sociali efficienda sunt.: Tot esse possunt societates quot sunt bona humana activitate sociali obtinenda. Ita ipsa natura humana impellit ad evolutionem, ad perfectionem vitae socialis. Haec est ratio, ob quam *ius associationis* dici debet ius hominis fundamentale, naturale. Saepe quidem agitur de bonis, quae, etsi non possunt dici stricte necessaria, tamen non sunt omnino libera, sed minore vel maiore gradu necessaria vel saltem summe convenientia. E. g. varii ordines professionales sine dubio non sunt absolute necessarii, et tamen quasi naturaliter oriuntur et in statu culturae evolutae vix unquam desunt. Proinde etiam in hisce casibus agitur de obtinendo fine sociali, de officiis activitate sociali exercendis ordinatione ipsius naturae humanae, i. e. impellente tendentia sociali naturali. Iamvero natura imponens finem non denegat media necessaria ad finem obtinendum. Subiectum officiorum munitur iuribus quibus indiget ad officia implenda: omnia iura sunt propter officia[24]. Ipsum ius fundamentale associationis frustratur nisi accedant iura ad actuationem eius necessaria. Hinc etiam in hisce casibus oritur *subiectum*

---

[23] De cetero haec argumentatio valet etiam pro origine personalitatis iuridicae ipsius Status. Si autem haec argumentatio non admittitur, quomodo explicatur origo personalitatis iuridicae Status?

[24] Cf. *Th. Meyer S. I., Institutiones iuris naturalis*, Pars I. Friburgi 1885, 373: « Obiectiva ratio, ob quam homini quaedam iura competere vi legis naturalis necessarium esse agnoscitur, huc demum redit: quia recta ratio intelligit, hominem suum officium naturale maxime originarium et essentiale... adimplere non posse, nisi illi ad hoc ipsum accomodatae quaedam facultates respectu aliorum inviolabiles jugiter praesto sint ».

iurium et officiorum, oritur persona moralis ex natura rei [25].

Assertum nostrum illustrari potest conceptione scholastica *de subiecto potestatis publicae societatis. In societate naturali* ipsa communitas est subiectum originarium iure naturali. *In societate supernaturali* autem haec potestas non ex communitate exsurgit, sed directe a Deo datur personae singulari. Ratio consistit in differentia finis ad quem potestas ordinatur. In ordine ad finem naturalem ipsa communitas habet omnia media sese dirigendi in hunc finem, proinde potestatis est capax, hinc — cum natura aliud subiectum non designaverit — ipsa est subiectum originarium potestatis socialis. In ordine autem ad finem supernaturalem communitas non habet media sese dirigendi in hunc finem, proinde ex se huius potestatis non est capax; hinc Christus directe hanc potestatem dedit suo vicario in terris, Romano Pontifici [26].

---

[25] Cf. *A. Vermeersch S. I., Theologia moralis*, Tom. 2. Romae 1937[3], n. 342: « Verum, intra ipsam Societatem perfectam, societates minores conaturaliter conflantur, quarum origo *a libero civium consensu, non ab auctoritate politica* repetenda est. Quae propter finem vel media illicitae vel periculosae sint, politica auctoritate prohiberi vel destrui possunt; sed, contra ac schola liberalis contendebat, nec a Statu creatae sunt, nec a Statu ius exsistendi cum mediis necessariis obtinent. Ius istud ex ipso iure personarum physicarum proxime manat. Formalis earum agnitio protectionem et iura addere potest; sed iam ante istam agnitionem ut vera persona exsistunt. Quia tamen facilius quam singuli homines damnosae fieri possunt, nec facultas cavendi communi bono a Statu abiudicari potest, frequentior est causa et frequentior usus prohibitionum quibus libertas agendi vel possidendi intra artiores limites moralibus personis continetur ». De cetero nostra argumentatio stricte tantum de societate, de corpore sociali valet. Attamen etiam summa bonorum determinato scopo destinata est inter media, quibus homines fines sociales ordinarie prosequuntur. Inde relate ad quaestionem de origine personalitatis iuridicae summa bonorum fini sociali applicata videtur aequiparari posse societati liberae.

[26] Cf. e. g. *Caietanus, De comparata auctoritate Papae et Concilii apologiae*, tract. II. pars II. cap. X.: « De similitudine condicionis et regenerationis generis humani, dicitur quod apertissime constat falsum assumi et *dissimiliter* Deum instituisse. Nam in ordine *ad finem naturalem* potestatem communitati indidit et non uni, in ordine autem *ad finem supernaturalem* potestatem dedit uni et non communitati ».

Similiter et ob eandem rationem persona moralis ordinis naturalis est talis ipsa natura rei; persona moralis ordinis supernaturalis actu positivo auctoritatis competentis legitimae constitui debet.

Proinde, ut oriatur *persona moralis ordinis naturalis*, persona moralis quae bona naturalia intendit, per se non requiritur interventus auctoritatis publicae. Immo auctoritas publica personam moralem naturaliter ortam tamquam talem recognoscere tenetur. Activitate enim Status vita societatum minorum exstingui non debet; finis Status consistit in eo quod vitam membrorum Status — personae physicae et societates minores — possibilem reddat et promoveat [27]. Bonum commune quidem exigere potest ut publice notum sit quales sint personae morales in Statu. Immo hac exigentia iustificantur leges, quae interventum auctoritatis publicae ad originem personae moralis imponunt. Attamen securitati iuridicae omnino providetur, si interventus auctoritatis publicae restringitur ad recognitionem personae moralis ortae. A. v. interventus auctoritatis publicae non habet rationem *constitutionis*, sed merae *recognitionis personae moralis constitutae*. Talis recognitio dependens esse potest a certis condicionibus; neque negamus capacitatem iuridicam interdum posse etiam re-

---

Ad rem *Pius XII., Allocutio ad S. R. Rotam 2.10.1945. AAS 1945*, 259: « Se, d'altra parte, si tiene presente la tesi preferita della democrazia — tesi che insigni pensatori cristiani hanno in ogni tempo propugnata —, vale a dire che il soggetto originario del potere civile derivante da Dio è il popolo (non già la 'massa') si fa sempre più chiara la distinzione fra la Chiesa e lo Stato anche democratico ».

[27] Cf. *Pius XI., Litterae Encyclicae*: *Quadragesimo anno. AAS 1931*, 202: « Immotumque manet in philosophia sociali gravissimum illud principium quod neque moveri neque mutari potest: sicut quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem avocare iniuria est simulque grave damnum ac recti ordinis perturbatio; cum socialis quaevis opera vi naturaque sua *subsidium afferre* membris corporis socialis debeat, numquam vero eadem destruere et absorbere ».

stringi vel exstingui. Attamen negamus talia fieri posse ordinarie et per se; iusta sunt tantum in quantum bonum commune in concretis circumstantiis ea exigit. Ordinarie et per se ius associationis fundamentale et naturale praevalet; restringendum est tantum ob exigentias boni communis Status, eo fere modo quo iura privata civium limitantur tantum ob veras exigentias boni communis [28]. Proinde tales *restrictiones capacitatis iuridicae* eo facilius admittuntur quo magis agatur de societate libera; quo magis autem bonum activitate sociali obtinendum est necessarium, eo minus admittuntur restrictiones capacitatis iuridicae societatis, quae hoc bonum prosequitur; eo minus — saltem ordinarie — bonum commune Status eas exiget, si vere indolis subsidiaria Status servatur.

Secundum ea quae diximus sola persona moralis ordinis naturalis oritur ex natura rei sine interventu auctoritatis publicae. De persona morali ordinis supernaturalis, de persona morali in Ecclesia hoc dici non potest. Status autem, qui Ecclesiam non agnoscit tamquam societatem perfectam, independentem iure divino positivo, ipsam Ecclesiam ac personas morales in Ecclesia agnoscere debet tamquam societates, quibus cives, innixi iure naturali associationis, prosequuntur bonum religiosum. A. v. etiam negata personalitate iuridica Ecclesiae orta iure divino positivo ipsum ius naturale exigit recognitionem personalitatis iuridicae Ecclesiae universalis, dioecesium, paroeciarum, ordinum et congregationum religiosarum, institutorum ecclesiasticorum etc [29]. Ita hac conceptione supposita Ecclesia et personae morales in Ecclesia non carent unquam capacitate iuridica in foro civili — qualiscumque sit conceptio quam quis habeat de Ecclesiae fundatione et missione divina.

W. Bertrams S. I.

---

[28] Cf. Bertrams, Privatrecht 301 s.

[29] Nemo non videt qualis momenti haec sint in Statibus, in quibus habetur separatio inter Ecclesiam et Statum.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS PRO ACATHOLICIS BAPTIZATIS

Sine dubio omnes baptizati, etiam acatholici subsunt iurisdictioni Ecclesiae catholicae. Iam a Concilio Tridentino definitum est: « Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint: A. S. » [1]. Nullus auctor catholicus hac de re dubitare potest.

Alia vero quaestio est an Ecclesia hoc suum ius ita urgeat, ut omnes baptizati etiam acatholici, obligentur ad observandas leges ecclesiasticas. Huic quaestioni post Codicem Iuris Canonici certo affirmative respondendum est: acatholici debent observare leges ecclesiasticas, nisi ipse legislator eos eximat. Haec doctrina iam communiter ab auctoribus recentioribus admittitur [2]. Rationem affert P. Wernz [3]: « Omnes valide baptizati vi caracteris indelebilis, ex ordinatione Christi iurisdictioni Ecclesiae in rebus ecclesiasticis ita irrevocabiliter sunt subiecti ut ipsi neque privata sua voluntate sese iurisdictioni ecclesiasticae subducere neque ab Ecclesia universaliter et absolute a propria iurisdictione liberi atque independentes declarari possint ». Ideo acatholici non tantum *de iure*, sed etiam *de facto* legibus ecclesiasticis subesse debent.

Specialis vero difficultas habetur ubi agitur de iure

---

[1] Concilium Tridentinum, Sess. VII can. 8. Denzinger, - Bannwart, - Umberg, *Enchiridion Symbolorum* Ed. 20a Friburgi-Brisgoviae 1932. n. 864.

[2] Vermeersch-Creusen, *Epitome iuris canonici*, I[6], Mechliniae-Romae 1937, n. 106.

[3] Wernz-Vidal, *Ius Canonicum*, Tomus V, Ius matrimoniale, Ed. 3a, a P. Philippo Aguirre recognita, Romae 1946, n. 58.

matrimoniali: supposita doctrina, quae docet omnia matrimonia baptizatorum regi legibus ecclesiasticis et quidem iure exclusivo et proprio, quaeri potest an etiam in re matrimoniali Ecclesia hoc suum ius urgeat. Cui quaestioni certo affirmative respondendum est, at bene observandum est in re matrimoniali non semper easdem vigere leges pro catholicis ac pro acatholicis baptizatis: ita can. 1070 obligat tantum « baptizatos in Ecclesia catholica, vel ad eam ex schismate vel haeresi conversos », non vero qui sunt baptizati extra Ecclesiam catholicam nec unquam ad eam conversos; can. 1099 § 1. eadem verba adhibet.

Canones in iure matrimoniali qui specialem obligationem continent pro acatholicis baptizatis pauci tantum sunt ac continent praecepta magis particularia. Ita can. 1021 § 2, 1060, 1061, 1062, 1109, qui agunt de « *catholicis* » vel de « *parte catholica* »; can. 1027, 1064, 1065, de « *fidelibus* » can. 1070, 1099, de « *baptizatis in Ecclesia catholica* ». Canones vero generaliores simpliciter agunt de « *baptizatis* », ita can. 1012, 1015, 1016, 1038, 1960; canon 1013 de « *matrimonio christiano* ».

Ideo tum de iure, tum de facto ius matrimoniale Codicis I. C. valet etiam pro acatholicis baptizatis [4], ritus tamen latini. Quod principium magni momenti practici est praesertim ubi agitur de impedimentis matrimonialibus. In hac vero materia variae obici possunt difficultates, quarum quaedam solvere conabimur.

I. Utilitas legis.

Cessat lex, si finis cessat contrarie. Quaeri potest num hoc verificetur ubi agitur de impedimentis matrimonialibus pro acatholicis baptizatis: impedimenta enim iuris ecclesiastici ab acatholicis passim ignorantur et non obser-

---

[4] Vermeersch-Creusen, l. c., ubi expresse de iure matrimoniali loquitur. De quaestione quibusnam legibus subsint acatholici ritus orientalis cfr. Hermann «Reguntúrne orientales dissidentes legibus matrimonialibus Ecclesiae Latinae. Periodica 1938 xxvii p. 7.

vantur, numerus igitur matrimoniorum nocivorum hac legislatione non minuitur, e contra, cum Ecclesia urgeat sua impedimenta etiam pro acatholicis baptizatis multa matrimonia sunt invalida, multa committuntur peccata saltem materialia, nascuntur filii illegitimi, pseudo-coniuges carent gratia sacramentali. Quare dixerit quis, legem nullam habere utilitatem sed e contra gravia afferre damna.

Iam supra vidimus Ecclesiam non posse omnes baptizatos eximere *ab omnibus legibus* ecclesiasticis: ex institutione Christi enim etiam de facto aliquomodo legibus ecclesiasticis subesse debent; Ecclesia quidem potest eos eximere a quibusdam legibus ecclesiasticis uti de facto fit. Quare vero Ecclesia non vult eximere acatholicos baptizatos a legibus quae statuunt impedimenta matrimonialia?

Respondetur: Quia bonum commune omnium baptizatorum, praesertim catholicorum exigit ne legislatio matrimonialis pro catholicis et pro baptizatis acatholicis sit nimis diversa. Non decet enim acatholicos habere maiorem libertatem quam ipsos catholicos neque acatholici debent esse melioris conditionis. Quod praesertim maximi momenti est in iis regionibus catholicis, ubi matrimonium ecclesiasticum sortitur effectus civiles. Si enim in hisce regionibus pro catholicis et acatholicis baptizatis non valerent eadem impedimenta catholici tepidi inducerentur ad fingendam haeresin vel apostasiam ut ita possent inire matrimonium lege ecclesiastica prohibitum. Insuper haec legislatio Ecclesiastica non ita dura dicenda est, quia:

a) matrimonia acatholicorum inita cum impedimento iuris ecclesiastici quamvis invalida, ordinario sunt putativa, quare conditio iuridica pseudo-coniugum non est peior quam si revera matrimonio iuncti essent; insuper filii sunt legitimi;

b) sublata obligatione contrahendi matrimonium in forma catholica pro acatholicis et abolito impedimento disparitatis cultus pro iis qui sunt baptizati extra Ecclesiam catholicam, praecipuae causae cur matrimonia aca-

tholicorum essent invalida propter legem mere ecclesiasticam iam non existunt: remanent nunc tantum impedimenta stricte dicta ac invaliditas matrimonii propter ignoratam conditionem servilem, atque propter metum gravem, de quibus in can. 1083 § 2 2°, et can. 1087 § 1.

Inter impedimenta vero stricte dicta quae enumerantur in Codice plura sunt vel iuris divini, vel saltem dubii iuris divini, quaeque Ecclesia igitur urgere debet; vel sunt sancita etiam legibus civilibus, ita ut non omnino ab acatholicis ignorentur et a plerisque admittantur; vel apud acatholicos raro tantum vel omnino non occurrunt, uti infra videbimus.

Unicum impedimentum cur acatholici saepius *bona fide* ineant matrimonium invalidum est impedimentum consanguinitatis in ulterioribus gradibus ac affinitatis: non facile vero hoc impedimentum pro acatholicis relaxari potest sine praeiudicio catholicorum.

II. Cessatio legis.

Certum est acatholicos *consuetudine contraria* non liberari ab observatione impedimentorum matrimonialium: dicit enim can. 1041: « Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis existentibus contraria reprobatur ». Attamen quaeri potest annon circumstantiae in quibus vivunt multi acatholici tales sint ut saepius liceat supponere *legem pro iis cessare.*

Dicit Cappello, agens de forma matrimonii catholicorum[5]: « Si validitati matrimonii obstet impedimentum iuris ecclesiastici super quo Ecclesia solet dispensare, et desit sacerdos, qui dispenset, coniugium saltem probabiliter potest, urgente revera necessitate, valide contrahi, non vi explicitae dispensationis, sed vi cessationis legis ecclesiasticae in conflictu cum lege naturali ».

---

[5] Cappello, *Tractatus Canonico-Moralis de Sacramentis,* Vol. III De Matrimonio, Ed. 4a, Taurini-Romae 1939, n. 692.

Haec doctrina, ni fallor, applicari potest etiam matrimoniis acatholicorum, qui speciatim in iis regionibus, ubi desunt sacerdotes catholici versantur in impossibilitate petendi dispensationem cum in non paucis casibus urgeat necessitas ineundi matrimonium. Licetne inde concludere practice pro iis impedimenta saepe cessare?

Videtur distinguendum: si lex ecclesiastica certis in circumstantiis *omne* matrimonium redderet impossibile, v. g. pro catholicis lex, quae requirit praesentiam duorum saltem testium, tunc facilius admitti potest cessatio legis, quia revera adest conflictus cum lege naturali, quae omni homini concedit ius ad matrimonium; si vero lex ecclesiastica tantum impossibile reddit matrimonium cum aliqua determinata persona, v. g. cum consanguinea, tunc non potest invocari lex naturalis praevalens, nisi fortasse illa persona consanguinea ex specialibus circumstantiis esset unica quacum de facto iniri potest matrimonium.

Certo, cessatio legis si admitti debet pro catholicis, etiam admitti debet pro acatholicis in iisdem circumstantiis. Casus vero in quo ex praescripto legis ecclesiasticae pro parte acatholica omne matrimonium impossibile redditur vix verificari potest.

Insuper can. 1041 videtur excludere cessationem universalem legis.

Etiam praxis iudicialis huic cessationi legis minime favet: quoties enim movetur causa matrimonialis et constat matrimonium fuisse initum cum impedimento dirimente, matrimonium declaratur nullum nec unquam inquiritur num lex impedimentum statuens in casu forte cessaverit.

Exstant quidem quaedam responsa SS. CC. RR. quae insinuare videntur cessationem legis, sed haec responsa facili negotio aliter explicari possunt.

Anno 1854 Vic. Ap. Mandchuriae S. C. S. Officii sequens dubium proposuerat:

In his difficillimis dissitisque regionibus saepe occurrunt christiani, qui sive persecutionis vitandae causa, sive propter pecuniae necessitatem, sive etiam propter aliam causam, satis incauti, ut sunt plerumque sinenses, e locis christianorum ubi habitant ipsi sive nati sunt, ad loca longinqua proficiscuntur, ad 40 vel 50 vel amplius dies itineris, simul cum uxore et filiis; in quibus locis non sunt christiani, nec inveniri possunt, nec ullus fuit unquam rumor de religione christiana per circuitum. Grandiores facti filii et filiae nubunt cum paganis sine dispensatione possibili...

Tenenturne impedimento disparitatis cultus? Quid iuris ubi fides eorum est in tuto, ut fit aliquando, et ubi sunt in bona fide, ut plurimum evenit?

Respondetur: In propositis circumstantiis non esse inquietandos, facto verbo cum SS.mo. — SS.mus approbavit[6].

Ut ex ipsis verbis patet responsum est practicum, non theoreticum; ex eo quod non sunt inquietandi non sequitur eorum matrimonia esse valida ideoque impedimentum disparitatis cultus pro iis cessasse; insuper cum additur « Facto verbo cum SS.mo » fieri potest R. P. pro his matrimoniis concessisse sanationem in radice.

Pariter anno 1868 Vic. Ap. Iaponiae S. C. S. Officii proposuit sequens dubium:

Christiani Iaponenses, de impedimentis matrimonium dirimentibus ab Ecclesia institutis omnino inscii, saepe matrimonia his impedimentis vitiata bona fide contraxerunt, nihil de consanguinitate vel affinitate vel aliis impedimentis attendentes. Hic non agitur de impedimentis ad ius divinum pertinentibus, sed tantum de ecclesiasticis; unde quaeritur:

1. Utrum in Iaponensi imperio, perdurante saeculari persecutione, necnon pastorum ac doctrinae privatione per-

---

[6] S.C.S. Officii ad Vic. Ap. Mandchuriae 1 iunii 1854. Collectanea S. C. de Propaganda Fide, Romae 1893, n. 1275.

severante, impedimenta ab Ecclesia statuta totam matrimonii dirimendi vim obtinuerint? Inde, utrum matrimonia cum talibus impedimentis dirimentibus contracta invalida sint?

2. In casu affirmativo, suppliciter ac humillime imploro ut SS.mus dispensationem a radice, qua omnia matrimonia nulla ob impedimenta iure Ecclesiae dirimentia revalidentur, benigne concedere dignetur.

Respondetur: Ad — 1. Providebitur in sequenti.

Ad 2. Quoad eos, qui sunt in bona fide, R. P. D. Vicarius Ap. sileat. Quoad eos, qui in bona fide non sunt, curet ut consensus renovetur, dispensationem concedendo iuxta facultates iam sibi factas a S. C. de Prop. F. [7]

Ex hoc responso ut videtur licet concludere impedimenta adhuc mansisse in vigore; loquitur enim responsum de iis, qui sunt *bona fide,* atqui bona fides secundum communem usum loquendi supponit errorem; tamen Vic. Ap. potest silere. Explicatio probabilior haec est: S. C. S. Officii pro his matrimoniis sanationem in radice obtinuisse. Pro iis, qui non sunt bona fide praescribitur renovatio consensus: ideo matrimonia eorum censentur invalida, impedimenta igitur adhuc vigent; si vero impedimenta adhuc valent pro iis qui sunt mala fide etiam valent pro iis qui sunt bona fide, quia cessatio legis non pendet a dispositione subiecti, sed a circumstantiis in quibus versatur communitas.

Ratio cur S. C. S. Officii distinguit inter eos qui bona fide sunt et eos qui bona fide non sunt, videtur esse haec: si partes bona fide sunt facilius praesumi potest consensum ab initio validum fuisse ac permansisse, id quod requiritur pro sanatione in radice, insuper timendum non est scandalum; dum e contra si partes bona fide non sunt, consensus validus non est adeo certus ac insuper per renovationem consensus post obtentam dispensationem partibus inculca-

---

[7] S.C.S. Officii ad Vic. Ap. Iaponiae 11 mart. 1868. Collectanea S.C. de Prop. Fide, Romae 1907, n. 1326.

tur obligatio observandi leges ecclesiasticas, id quod non obtinet si eis concederetur sanatio in radice.

Si vero in difficillimis circumstantiis supra expositis lex non censetur cessare, vix admitti potest cessatio legis pro acatholicis baptizatis.

III. Applicatio legis.

Canones qui statuunt impedimenta matrimonialia certo sunt leges quae liberum iurium exercitium coarctant. quare iuxta can. 19 strictae subsunt interpretationi. Quoad singula impedimenta infra inquirere conabimur an conditiones quae in lege requiruntur, etiam apud acatholicos baptizatos verificari possint vel soleant.

DE SINGULIS IMPEDIMENTIS

A. De impedimentis impedientibus. Quaestiones circa impedimenta impedientia quoad acatholicos baptizatos non sunt magni momenti practici: cum enim acatholici generatim haec impedimenta ignorent non peccant, si cum tali impedimento matrimonium contrahunt; praeterea matrimonium cum tali impedimento initum iam ab ipso initio validum est et ideo si postea altera vel utraque pars convertitur iam nulla indigent dispensatione. Quoad singula impedimenta impedientia vero theoriam paucis explicabimus.

1) *Impedimentum voti simplicis.* Impedimentum voti simplicis virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi sacros ordines, amplectendi statum religiosum, de quo in can. 1058.

Certo etiam acatholici possunt valide emittere vota simplicia privata. Cum tamen generatim naturam voti prorsus ignorent, imo plerique haeretici a votis abhorreant hoc impedimentum non frequenter aderit. Simplex enim propositum non producit impedimentum.

Votum suscipiendi ordines sacros in secta, quae non habet ordinationes validas non inducit impedimentum; si vero secta habet ordinationes validas tamen voto suscipiendi ordines sacros non videtur induci impedimentum, quia uti infra videbimus ordinatio extra Ecclesiam catholicam *practice* non inducit impedimentum: si vero ipsa ordinatio non inducit impedimentum dirimens, ut videtur votum suscipiendi ordines non inducit impedimentum impediens.

Sine dubio adest impedimentum impediens, si acatholicus voveret suscipere sacros ordines post conversionem in Ecclesia catholica. Votum ingrediendi religionem acatholicam, uti v. g. existunt apud Anglicanos non inducit impedimentum cum extra Ecclesiam catholicam verus « status religiosus » non detur. Induceretur tamen impedimentum si acatholicus voveret ingressum in statum religiosum post conversionem. Tale votum ab acatholicis qui ad fidem catholicam adspirant non semel minus prudenter emittitur, validitas vero talis voti ex defectu debitae deliberationis saepe *dubia* erit, quare tunc certo non inducit impedimentum.

2) *Impedimentum cognationis legalis.* Quia hoc impedimentum existit tantum in iis regionibus ubi lex civilis simile impedimentum statuit, ab acatholicis non ignoratur. Notandum vero est impedimentum dispensatione concessa a principe civili non tolli; impedimentum enim obligat vi legis ecclesiasticae in qua princeps civilis dispensare non potest. In tali casu bona fides facile excusabit a peccato.

3) *Impedimentum mixtae religionis.* Impedimentum mixtae religionis de quo in can. 1060-1064 in quantum est lex ecclesiastica certo non obligat acatholicos si contrahunt inter se; canon enim expresse loquitur de matrimonio cuius altera pars est *catholica.*

Quaeri tamen potest num acatholicus contrahens cum persona catholica peccet *contra legem ecclesiasticam* enuntiatam in can. 1060. Responsum videtur debere esse affirmativum: ipsa lex non distinguit: canon directe vetat ma-

trimonium, non solum afficit partem catholicam. Certo certius pars acatholica contrahendo cum parte catholica saepe peccat contra legem naturalem, non tantum quia pars acatholica parti catholicae praebet occasionem proximam peccandi sed etiam quia sese exponit periculo defectionis totalis ab omni religione.

Non abs re erit notare hic matrimonium inter duas partes acatholicas, quae ad diversas sectas pertinent saepe ipso iure naturali prohiberi; talia enim « matrimonia mixta » facile ducunt ad indifferentismum religiosum; in tali matrimonio partes facilius transgrediuntur ipsas leges naturales; infantes ordinario iam non baptizantur et sine ulla religione educantur. Quare etiam sacerdos catholicus in quantum potest debet dissuadere talia matrimonia. Multi etiam pastores haeretici hisce matrimoniis sese opponunt; tristi enim experientia norunt sic parari viam ad vitam omnino areligiosam. Quorum conaminibus sacerdotes catholici pro viribus cooperari conentur, neque in errorem ducantur per opinionem, quod homines, qui sunt indifferentes in religione facilius convertuntur ad religionem catholicam quam illi qui sunt tenaces schismatis vel haeresis. Certum est enim eos potissimum resistere gratiae invitanti ad veram fidem, quorum vita moralis contradicit principiis evangelicis. Maximum enim obstaculum pro conversione non est falsa religio sed mala vita. In tali vero « matrimonio mixto » partes probabiliter quidem amittent falsam religionem sed simul abusu matrimonii saepe tota vita moralis destruitur.

B. De impedimentis dirimentibus. 1) *Impedimento aetatis*, de quo in can. 1067 certo omnes baptizati tenentur. In regionibus Europae et Americae hoc impedimentum in praxi non creat difficultatem, cum leges civiles generatim exigant eandem vel maiorem aetatem ac Codex I.C. [8].

---

[8] Variae legislationes diversarum nationum circa aetatem minimam pro matrimonio requisitam enumerantur apud WERNZ-VIDAL, o. c. n. 210 Scholion.

In regionibus vero ubi leges civiles minori aetate contentae sunt et ubi de facto matrimonia iniri solent infra aetatem canonicam maior habetur difficultas: certo omnia matrimonia illa baptizatorum invalida sunt. Non tamen mirari debemus Ecclesiam hoc impedimentum pro acatholicis urgere, quia impedimentum hoc statutum est in favorem minorennium; saepe enim matrimonia immatura felicem exitum non sortiuntur; praeterea etiam pro catholicis Ecclesia in hoc impedimento non dispensat facile: in nova formula facultatum generalium, quas S. C. de Prop. Fide Ordinariis missionum concessit die 1 Jan. 1941[9] n. 22 legitur:

« Dispensandi, canonicis existentibus causis, super impedimentis matrimonialibus... exceptis impedimentis provenientibus ex sacro Presbyteratus ordine, ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio et ex defectu praescriptae aetatis, quando sponsi ad aetatem ab antiquo iure praefixam nondum pervenerint. (Idest ad annum 14 completum pro viris et ad 12 completum pro mulieribus).

Facultas dispensandi in hoc impedimento igitur satis restricta est. Imo in ceteris facultatibus semper excipitur impedimentum aetatis.

Iuvat hic in memoriam revocare matrimonium baptizatorum initum cum impedimento aetatis postquam impedimentum cessaverit non ipso facto convalidari: ex lege enim ecclesiastica requiritur renovatio consensus saltem a parte impedimenti conscia (can. 1133 § 1.); quae renovatio impossibilis est sine cognitione nullitatis matrimonii (can. 1134).

Multo vero difficilior oritur quaestio, si matrimonium est invalidum *non tantum* ob impedimentum aetatis, *sed etiam* ob defectum consensus, id quod si partes sunt valde iuvenes facile fieri potest: Quid vero si partes ineunt matrimonium infra aetatem canonicam, dant consensum in-

---

[9] Paventi, *Brevis commentarius in Facultates S.C. de P.F.* Romae 1944, p. 31.

validum eo quod ignorant naturam matrimonii, postea vero, postquam ad aetatem canonicam pervenerint dant consensum verum, num convalidatur matrimonium necne? Hanc quaestionem in sequenti articulo de convalidatione matrimonii tractabimus.

Impedimentum aetatis statutum a lege ecclesiastica valet pro omnibus baptizatis, eorumque matrimonia non possunt invalidari per legem civilem, quae fortasse maiorem aetatem exigit.

Pro non baptizatis iure naturali requiritur talis aetas ut partes possint dare consensum validum, pro iis tamen auctoritas civilis potest praescribere maiorem aetatem ad ineundum matrimonium validum. Si una pars est baptizata, altera vero pars non est baptizata, pars baptizata certo sola lege ecclesiastica regitur etiam quoad aetatem requisitam, de aetate vero requisita in parte non baptizata auctores non consentiunt. Quaeritur sc. an matrimonium in hoc casu sit validum, quamvis parti non baptizatae obstet lex civilis ob defectum aetatis ab illa lege requisitae. Duplex est sententia: affirmativa (Cappello [10], Vromant [11], Vidal [12]) et negativa (Gasparri [13], Onclin [14]).

Altera sententia nobis videtur probabilior, nulla enim adest ratio cur pars infidelis exempta sit a lege civili: quare *ante* matrimonium certo curandum est ut pars infidelis obtineat dispensationem ab auctoritate civili; *post* matrimonium initum etiam sine dispensatione iuxta can. 1014 standum est pro valore matrimonii quia obligatio legis civilis in casu saltem dubia est.

---

[10] Cappello, *o. c.* n. 336.

[11] Vromant, *Ius missionariorum*, Tomus V, De matrimonio, Ed. 2a, Lovanii 1938, n. 49.

[12] Wernz-Vidal, *o. c.* n. 211.

[13] Gasparri, *Tractatus canonicus de Matrimonio*, Ed. nova ad mentem Codicis I.C., Romae 1932 n. 256.

In ed. 3a, Parisiis 1904, n. 560 coll. n. 306 contrariam sententiam defenderat.

[14] Onclin, « *De regimine matrimonii fidelem inter et infidelem* ». In: Ephemerides Theologicae Lovanienses 1933 X p. 47.

2) *Impedimentum impotentiae.* Impedimentum impotentiae sicuti refertur in can. 1068 est iuris naturalis, valet igitur pariter pro baptizatis ac non baptizatis; pro praxi tamen animadvertendum est hoc: Legislatio civilis in multis regionibus [15] impotentiam ut impedimentum matrimonii vel rationem cur divortium concedi possit non agnoscit, unde non raro fit ut partes petant divortium a iudice civili, fingentes causam quae a iure admittitur, dum vera causa est impotentia alterutrius partis. Si in hoc casu partes post divortium civile novum ineunt matrimonium, illud matrimonium, saltem partis quae non laborat impotentia, vel etiam utriusque partis, si impotentia est relativa tantum, obiective validum est; in foro ecclesiastico vero sustinetur valor prioris matrimonii usque dum impotentia revera probata est.

Quare si acatholici post divortium civile novum inierunt matrimonium non statim concludendum est secundum matrimonium esse invalidum, sed prius inquiratur quaenam fuerit *vera causa* cur divortium petierint, quae non semper eadem est ac causa adducta coram tribunali civili.

3) *Impedimentum ligaminis.* Impedimentum ligaminis prout can. 1069 proponitur est iuris divini, obligat igitur omnes homines. Praeterquam in nationibus Islamiticis etiam leges civiles aliquod impedimentum ligaminis statuunt; pariter omnes christiani acatholici hoc impedimentum quodammodo admittunt: extensio vero huius impedimenti in iure canonico et in iure civili saepe non est eadem. Dicit can. 1069 § 1.

« Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei ».

Similiter in lege civili polygamia simultanea prohibetur.

Differentia vero in eo consistit, quod iudex laicus ali-

---

[15] Ita in Gallia, Germania, Helvetia, Hungaria, cfr. Wernz-Vidal *o. c.* n. 240.

ter dijudicat num quis teneatur vinculo prioris matrimonii ac iudex ecclesiasticus; iudex laicus enim saepe concedit dissolutionem vinculi in casibus ubi haec dissolutio iure divino prohibita est.

Patet *pro baptizatis*, etiam acatholicis, talem sententiam iudicis laici nullum habere valorem, quia judex est omnino incompetens. Ideo dissoluto matrimonio vel declarata eius nullitate partes tamen vinculo prioris matrimonii adhuc tenentur nec possunt inire novum matrimonium validum in foro ecclesiastico. Si vero prius matrimonium erat revera nullum, vg. propter defectum consensus, novum matrimonium obiective validum est. In foro vero ecclesiastico externo sustinetur valor prioris matrimonii et secundum consideratur invalidum, usque dum nullitas prioris matrimonii *coram iudice ecclesiastico* revera probata est.

At quamquam sententia iudicis laici pro baptizatis nullum habet valorem iuridicum, saepe praesertim si agitur de matrimonio acatholicorum habet quidem sequelas practicas; saepe enim acatholici quorum matrimonium ab auctoritate civili dissolutum fuit, *bona fide* novum matrimonium ineunt; illud novum matrimonium quidem est invalidum, non tamen dicendum est *matrimonium attentatum*, propter bonam fidem enim partium dici potest *matrimonium putativum*.

Sic omnibus fere christianis acatholicis ex perperam intellecto textu apud Mattheum 19, 9, persuasum est adulterium alterius partis dare parti innocenti ius advolandi ad novas nuptias. Concilium Tridentinum Sess. XXIV can. 7 (D. 977) hanc explicationem iam damnavit; attamen facile fieri potest apud acatholicos, ut matrimonio sententia iudicis laici propter adulterium dissoluto pars innocens acatholica *bona fide* existimet se posse inire novum matrimonium, quod matrimonium tunc non est attentatum sed putativum: ideo tale matrimonium non inducit impedimentum criminis, de quo in can. 1075 1°.

Applicari debet quoque acatholicis baptizatis:

Can. 1069 § 2. — Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non licet ideo aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit.

« *Legitime* » i. e. secundum leges ecclesiasticas si agitur de baptizatis. Quare baptizati nullomodo acquiescere possunt praesumptionibus lege civili statutis.

Sic v. g. lex ecclesiastica requirit *probationes positivas* mortis prioris coniugis, dum in multis regionibus lex civilis contenta est diuturna absentia. S. C. S. Officii vero expresse declaravit talem praesumptionem non sufficere [16].

Attamen pars acatholica quae novum matrimonium init ob praesumptam mortem coniugis secundum normas legis civilis, generatim agit *bona fide*: quare relinquantur in bona fide [17] etiamsi utraque vel altera pars postea convertitur ad fidem catholicam.

Patet valorem obiectivum huius secundi matrimonii pendere a morte coniugis prioris: si de facto mortuus est valet matrimonium, si adhuc vivit invalidum est; nec ipso facto secundum matrimonium convalidatur si interim prior coniux moritur: debent enim partes renovare consensum vi can. 1133 et 1134.

4) *Impedimentum disparitatis cultus.* — Impedimentum disparitatis cultus de quo in can. 1070, uti ex ipsis verbis canonis clare apparet, valet tantum pro iis, qui sunt « baptizati in Ecclesia catholica vel ad eandem ex schismate vel haeresi conversi ». Ideo non valet pro acatholicis, qui semper acatholici fuerunt.

Iam supra adnotavimus, agentes de impedimento mixtae religionis, disparitatem cultus saepe iure naturali constituere impedimentum impediens etiam pro acatholicis; quid enim boni expectare licet a matrimonio inter partem baptizatam et partem Hebraeam vel Mahumetanam inito?

---

16 Instructio S.C.S. Officii 13 Maii 1868. Collectanea S.C. de P.F. Romae 1907 n. 1321.

17 Instructio S.C.S. Officii 22 mart. 1865. Coll. S.C. de P.F. Romae 1907 n. 1272 ad 2.

Nonnulli Auctores [18], putaverunt exemptionem a forma canonica pro iis, qui ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, ab infantili aetate in haeresi vel schismate vel sine ulla religione adoleverunt quoties cum parte acatholica contraxerint, de qua in can. 1099 § 2, extendendam esse ad impedimentum disparitatis cultus, ita ut iidem etiam ab hoc impedimento eximantur. Post responsum authenticum Commissionis i. C. [19] iam nullum dubium superest; tenentur et ii impedimento disparitatis cultus. Quod responsum, ut videtur, est declaratio tantum verborum in se certorum [20], quare iuxta can. 17 § 2 valet retrorsum.

Unicum dubium quod circa huius impedimenti extensionem adhuc moveri potest remanet:

Estne infans, quod contra voluntatem parentum *extra periculum mortis* baptizatus est a ministro catholico, baptizatus in Ecclesia catholica? Auctores non consentiunt.

Negative respondet Wernz-Vidal [21]. Quia in casu baptismus illegitime, i. e. contra praescriptum can. 750-751 confertur. Sane minister catholicus illicite confert baptismum, sed exinde non necessario sequitur baptismum non habere effectum iuridicum incorporandi in Ecclesiam catholicam. Si enim differunt intentio infantem praesentantis et intentio ministri baptismum conferentis potius attendendum videtur ad ritum catholicum adhibitum et intentionem ministri conferentis quam ad intentionem infantem praesentantis.

Eo facilius hoc admittendum est si parentes omnino non volunt conferri baptismum, nequidem in secta ulla;

---

[18] Wernz-Vidal *o. c.* in 2a editione dicebat: « non satis clarum expressum videbatur an impedimento disparitatis cultus ad contrahendum matrimonium cum infideli ligaretur ».

Addidit tamen P. Aguirre in ultima editione responsum Comm. i. C. de qua infra.

[19] Commissio i. C. die 29 apr. 1940; A.A.S. 1940 XXXII p. 212.

[20] Fere omnes AA. iam ante responsum Comm. i. C. hanc sententiam propugnabant.

[21] Wernz-Vidal, *o. c.* n. 263.

tunc enim quaeri potest in quanam secta infans baptizatus sit, si non est baptizatus in Ecclesia catholica.

Solutio authentica huius difficultatis adhuc desideratur, ideo practice qui tali modo sunt baptizati vi can. 15 non subsunt impedimento disparitatis cultus. Ita etiam CAPPELLO, VROMANT, VERMEERSCH-CREUSEN [22].

In can. 1070 § 2 statuitur praesumptio in favorem baptismi; haec praesumptio valet tantum si agitur de impedimento disparitatis cultus, si vero matrimonium impugnatur ex alio capite quam ex impedimento disparitatis cultus nulla viget praesumptio in favorem baptismi et simpliciter applicandus est can. 1014.

Pro acatholicis baptizatis, qui impedimento disparitatis cultus non subsunt, haec paragraphus 2 inutilis est, dummodo matrimonium contractum sit post editum Codicem I. C. Quomodo iudicandum sit de matrimoniis dubie baptizatorum — etiam acatholicorum — ante diem 19 Maii 1918 videsis VERMEERSCH-CREUSEN, Epitome Iuris Canonici II[6] n. 345 3.

5) *Impedimentum ordinis sacri.* — Impedimentum ordinis sacri, de quo in can. 1072 afficit illos tantum, qui valide ordinati sunt: ideo raro inter acatholicos ritus latini invenitur. Cum impedimentum proveniat ex lege ecclesiastica et non tantum ex voto quod in ipsa ordinatione emittitur etiam illi qui hoc votum emittere noluerunt impedimento tenentur: si quis enim serio vult ordinari sed ex ignorantia vel ex malitia excludat votum, post validam ordinationem ex lege ecclesiastica tenetur impedimento dirimente ordinis sacri.

Dicit vero GASPARRI [23] « Ignorantia obligationis clericalis non secumfert nullitatem eiusdem obligationis, sed impedire potest quominus obligatio ipsa urgeat, quia onus

---

[22] CAPPELLO, *o. c.* n. 412; VROMANT, *o. c.* n. 72, 73; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.* n. 341.

[23] GASPARRI, *o. c.* in ed. nova. n. 611.

tam grave imponi nequit, nisi ultro acceptanti, atque ita impedimentum excluditur ».

Haec vero explicatio videtur contradicere canoni 15; insuper obligatio, quae adest, sed non urgetur difficulter intelligi potest; propter auctoritatem vero e.mi Card. GASPARRI haec sententia sperni non potest, quare, quamvis putamus theoretice omnes sacerdotes valide ordinatos teneri impedimento ordinis sacri practice pro sacerdotibus acatholicis, qui obligationem coelibatus ignorant non existit.

6) *Impedimentum voti solemnis.* — Hoc impedimentum de quo in can. 1073 apud acatholicos occurrere non potest, quia acatholici sunt incapaces ad emittenda vota religiosa; dicitur enim can. 572 § 1 2°: « Ad validitatem cuiusvis religiosae professionis requiritur ut emissurum admittat legitimus superior secundum constitutiones. Extra vero Ecclesiam catholicam nullus superior est competens. Praeterea vota solemnia sunt semper publica, quae extra Ecclesiam catholicam non dantur.

7) *Impedimentum raptus.* — Impedimentum raptus, quod est iuris ecclesiastici ligat omnes et solos baptizatos. Quid vero si una pars est baptizata, altera pars non est baptizata?

Si vir raptor est baptizatus certo impedimentum adest; ipse enim directe legibus ecclesiasticis subest et ut dicit WERNZ-VIDAL [24] ipse « propter odium in tantum facinus ab Ecclesia ad sic contrahendum factus est inhabilis ».

Si vero sola mulier rapta est baptizata pariter adest impedimentum, quia uti dicit WERNZ-VIDAL ibidem, « In favorem libertatis mulier fidelis a iure est inhabilis ad contrahendum validum matrimonium ». Ideo in utroque casu pars fidelis directe ligatur, pars vero infidelis indirecte [25].

---

[24] WERNZ-VIDAL, *o. c.* n. 310.

[25] Pariter: VERMEERSCH-CREUSEN *o. c.* n. 350; GASPARRI, *o. c.* n. 663.

8) *Impedimentum criminis.* — Impedimentum criminis primario non est poena, sed inhabilitas personae statuta a lege, quare etiam ignorantes hoc impedimentum incurrunt, ideo etiam acatholici possunt incurrere hoc impedimentum. At bene advertamus ad extensionem huius impedimenti: secundum Codicem enim diversae verificari debent conditiones ut adsit impedimentum; inter has conditiones autem sunt nonnullae quae si agitur de acatholicis non facile inveniuntur, quare saepe sunt immunes ab impedimento.

Dicit Can. 1075. — Valide contrahere nequeunt matrimonium:

1°. Qui perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium consummarunt et fidem sibi dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem actum tantum, attentarunt.

Adulterium, de quo in canone debet esse *adulterium formale;* utraque pars debet scire existentiam eiusdem vinculi matrimonialis; itaque si pars bona fide putat vinculum matrimonii prioris iam esse solutum, non perpetrat adulterium formale; sic mulier catholica, quae ob praesumptam *legitimo modo* coniugis mortem novum iniit matrimonium non est adultera etiamsi postea apparebit coniugem adhuc in vivos esse. Pariter vir acatholicus, qui novum iniit matrimonium, revera bona fide putans vinculum matrimoniale cum priore uxore sua a iudice civili esse solutum, non committit adulterium formale.

Insuper canon loquitur de *matrimonio attentato;* matrimonium attentatum autem tantum adest ubi partes sciunt vinculum prioris matrimonii adhuc perdurare seque non posse inire novum matrimonium, si vero persuasum habent vinculum prioris matrimonii revera esse solutum, seque esse omnino liberos ad novum matrimonium ineundum, novum matrimonium non erit matrimonium attentatum sed erit *matrimonium putativum.*

Sane opinio de dissolubilitate matrimonii apud catholicos satis raro occurrit et certo non est praesumenda, apud acatholicos vero est fere communis et in quibusdam determinatis casibus praesumi potest. Quare prima species impedimenti criminis np. adulterium cum matrimonio attentato saepe non adest apud acatholicos[26].

Neque altera species de qua in eodem numero eiusdem canonis 1075: np. adulterium cum promissione apud acatholicos ita frequenter occurrit quam apud catholicos.

Secundum AA. enim promissio debet respicere novum matrimonium ineundum *post mortem* prioris coniugis, id quod pro catholicis est unica possibilitas; saepe tamen acatholici promittunt matrimonium ineundum post obtentum divortium a iudice civili, quod in eorum opinione possibile est, in quo casu impedimentum non adest.

In foro externo ecclesiastico vero impedimentum censetur adesse, quare si agitur de acatholicis, qui convertuntur ad fidem catholicam petenda est dispensatio et convalidandum est matrimonium, quamvis fortasse obiective validum esset.

Tertia vero et quarta species impedimenti criminis, de quibus in numeris 2 et 3 eiusdem canonis 1075 apud acatholicos baptizatos pari modo ac apud catholicos occurrere possunt.

Can. 1075. — Valide contrahere nequeunt matrimonium:

2°. Qui perdurante pariter eodem legitimo matrimonio adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugicidium perpetravit.

3°. Qui mutuo opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt.

Si enim divortium civile iam praecessit, nulla ratio adest cur alteri parti mors inferatur, si tamen non praeces-

---

[26] Excusat ignorantia (ligaminis alterius partis) etiam leviter culpabilis; de ignorantia graviter culpabili disputatur, quare practice impedimentum non adest. CAPPELLO, *o. c.* n. 481. Ignorantia vero et error quoad effectus in iure aequiparantur.

sit divortium civile vix cogitari potest casus quo partes sibi conscii non sint perpetrati adulterii.

9. *Impedimentum consanguinitatis.* — Impedimentum consanguinitatis prout iure ecclesiastico pro omnibus baptizatis praescribitur legitur in can. 1076.

Can. 1076. § 1. — In linea recta consanguinitatis matrimonium est irritum inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos, tum naturales.

Haec paragraphus etiam si agitur de acatholicis nullam parit difficultatem quia:

a) *in primo gradu lineae rectae consanguinitatis* matrimonium certo ipso *iure naturali* irritum est.

b) in ulterioribus gradibus lineae rectae consanguinitatis matrimonium *probabiliter* iure naturali irritum est; ideo Ecclesia necessario debet urgere hoc impedimentum.

Praeterea nemo bona fide matrimonium hoc impedimento vitiatum inire poterit: quia:

a) Omnes Codices civiles hoc idem impedimentum statuunt[27].

b) Omnes homines bene percipiunt nefandum esse tale matrimonium, etiamsi consanguinitas esset illegitima et occulta ita ut lex ecclesiastica vel civilis urgeri non posset.

c) Etiam Protestantes et quidem ob motiva religiosa hoc impedimentum admittunt: pro iis enim impedimenta matrimonialia sunt illa quae in Sacra Scriptura in lege Mosaica enumerantur.

Lex Mosaica vero non loquitur de gradibus prohibitis sed simpliciter enumerat inter quasnam personas matrimonium prohibeatur.

Ita Lev. XVII 6, 7, vetat matrimonium inter patrem et filiam, et inter matrem et filium: ideo in primo gradu lineae rectae consanguinitatis; ibidem v. 10: inter avum et nepotem et inter proavum et pronepotem: ideo in secundo

---

27 Cappello, *o. c.* n. 528. 1; Wernz-Vidal, *o. c.* n. 358 Scholion.

et tertio gradu consanguinitatis in linea recta; quidem sermo non est de matrimonio inter aviam et nepotem, proaviam et pronepotem, neque de gradibus ultra tertium, practice tamen talia matrimonia non facile occurrunt.

De consanguinitate in linea obliqua agit idem.

Can. 1076 § 2. — In linea collaterali irritum est usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur.

Haec paragraphus maiorem creat difficultatem: non vero quoad primum gradum lineae collateralis quia: sententia probabilior, imo certa[28] docet matrimonium inter fratrem et sororem ipso iure naturali irritari, quod confirmari videtur in Codice I. C. in eodem canone in § 3. — Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis.

Ecclesia igitur certo debet urgere hoc impedimentum etiam pro acatholicis.

Etiam circa primum gradum lineae collateralis non potest adesse bona fides, quia

a) Codices civiles omnium nationum primum gradum lineae collateralis omnes habent ut impedimentum matrimonii[29].

b) ipsa natura duce homines etiam areligiosi ab his matrimoniis abhorrent.

c) In lege Mosaica, Lev. XVIII 9. dicitur:

« Turpitudinem sororis tuae ex patre, sive ex matre, quae domi vel foris genita est non revelabis ».

Pariter Deut. XXVII 22: « Maledictus, qui dormit cum sorore sua, filia patris sui vel matris suae ».

Ideo vetatur matrimonium in primo gradu lineae collateralis etiamsi consanguinitas est semiplena vel illegitima.

---

[28] CAPPELLO, *o. c.* n. 519.

[29] CAPPELLO, *o. c.* n. 528. 2; WERNZ-VIDAL, *o. c.* n. 358 Scholion.

Maior est difficultas ubi agitur de secundo et tertio gradu lineae collateralis.

Certo consanguinitas in secundo et tertio gradu lineae collateralis est impedimentum matrimoniale *iuris ecclesiastici tantum*. Ideo Ecclesia potest dispensare, quod de facto interdum facit, posset etiam eximere acatholicos, quod non facit.

Saepius acatholici matrimonium ineunt hoc impedimento vitiatum et quidem bona fide quia:

a) Nullus fere Codex civilis extendit impedimentum consanguinitatis in linea collaterali usque ad tertium gradum [30];

V. g. in Germania et in quibusdam Statibus Foederatis Americae Septentrionalis nullum est impedimentum ultra primum gradum. In Gallia, Helvetia, Neerlandia lex civilis prohibet tantum matrimonia in secundo gradu lineae collateralis *tangente primo*, non vero in secundo gradu si uterque tractus est aequalis, neque in tertio gradu.

In Hispania et in quibusdam Statibus Americae Septentrionalis matrimonium prohibetur usque ad secundum gradum.

Prohibitio vero usque ad tertium gradum invenitur in iis Codicibus civilibus tantum ubi ius canonicum ordinat matrimonium baptizatorum, uti in Italia. Ideo mirum non est multos acatholicos hoc impedimentum in ulterioribus gradibus ignorare neque ad illud attendere.

b) In lege Mosaica, quae ut supra diximus pro multis acatholicis est unica norma hac in re vetatur tantum matrimonium inter amitam, materteram et filium fratris, sororis. Ita Lev. XVIII 12, 13. non vero vetatur matrimonium inter patruum, avunculum et filiam fratris, sororis, neque sermo fit de secundo gradu aequali vel de tertio gradu.

10) *Impedimentum affinitatis.* — Simul cum impedimento consanguinitatis in ulterioribus gradibus hoc impe-

---

30 Ibid. Cappello, *o. c.* n. 528.

dimentum est praecipuus fons cur acatholici baptizati *bona fide* ineant matrimonia invalida.

De impedimento affinitatis agit Codex in Can. 1077 § 1. — Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quocumque gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive.

Quamvis impedimentum hoc in linea recta etiam consummato matrimonio, non est iuris naturalis sed iuris ecclesiastici tantum, tamen in omnibus codicibus civilibus statuitur in linea recta et quidem usque in infinitum [31].

Protestantes hoc impedimentum considerant ut iuris divini; legitur enim in Lev. XVIII 8: « Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies » et ibidem v. 18: « Turpitudinem nurus tuae non revelabis, quia uxor filii tui est »; v. 17: « Turpitudinem uxoris tuae et filiae eius non revelabis. Filiam filii eius et filiam illius non sumes »; pariter Deut. XXVII 23: « Maledictus qui dormit cum socru sua ».

Igitur quoad lineam rectam nulla datur difficultas: etiam acatholici hoc impedimentum agnoscunt.

Res vero difficilior redditur si agitur de affinitate in linea collaterali: certo non est iuris divini, sed iuris ecclesiastici, quare obligat omnes et solos baptizatos, sed multi acatholici hoc impedimentum ignorant et non observant: quia:

a) Codices civiles hoc impedimentum vel omnino non agnoscunt vel tantum admittunt in linea collaterali *in primo gradu*.

Nullum impedimentum affinitatis in linea collaterali ponunt Codex civilis Germanicus, Helveticus, Hungaricus.

Primum gradum lineae collateralis tantum urgent Codex civilis Gallicus, Neerlandicus; hic ultimus tantum in

---

[31] Cappello, *o. c.* n. 542; Wernz-Vidal, *o. c.* n. 371 Scholion. III Adnotat Auctor: Impedimentum affinitatis e copula illicita a modernis codicibus iuris civilis solet esse alienum.

casu quo matrimonium alio modo quam per mortem dissolutum est.

Pauci tantum sunt Codices civiles, qui affinitatem etiam in secundo gradu habent impedimentum matrimoniale: ita Codex civilis Italicus, Hispanicus, Austriacus [32].

b) In lege Mosaica vetatur tantum matrimonium cum affinibus in gradu primo lineae collateralis: ita Lev. XVIII 16: Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis ». Ibid. v. 18: « Sororem uxoris tuae in pellicatum illius non accipies »; adiungitur autem: « nec revelabis turpitudinem eius adhuc illa vivente ». Quare si matrimonium morte dissolutum est impedimentum iam non existit.

Ex supradictis mirum non est acatholicos in multis regionibus *bona fide* inire matrimonia cum affinibus in linea collaterali, quae matrimonia si una saltem pars est valide baptizata sunt invalida.

At bene notandum est:

Si in priore matrimonio, unde affinitas oritur utraque pars non est valide baptizata impedimentum non existit. Dicit enim: Can. 97 § 1. — Affinitas oritur ex matrimonio valido sive rato tantum, sive rato et consummato.

Atqui tunc tantum matrimonium est ratum vel ratum et consummatum si utraque pars est valide baptizata: si una aut utraque pars non est valide baptizata, quidem secundum communem usum loquendi sunt affines, sed affinitas in sensu iuridico, unde oritur impedimentum matrimoniale non adest.

Ratio enim affinitatis quaerenda est in vinculo supernaturali, quod in solo matrimonio duorum baptizatorum adest, non vero in vinculo naturali seu in unione carnis, quae in omni matrimonio consummato adest.

Non omnes Auctores hanc sententiam admittunt: sunt qui contendant affinitatem et impedimentum oriri ex omni matrimonio valido. Sequentia afferunt argumenta:

---

[32] Ibid.

a) Quod matrimonium sit vel non sit *sacramentum*, ideo in sensu stricto « *ratum* », non satis apparet quid pertineat ad inducendam vel non inducendam illam personarum propinquitatem, quae ipsa natura duce eaque saltem suadente agnoscitur inter memoratas personas;

b) Vox « ratum tantum » in can. 97 § 1 videtur esse sumenda in oppositione ad « matrimonium consummatum » secundum modum loquendi usitatissimum apud canonistas.

Respondeo: sane ipsa natura hanc propinquitatem personarum aliquomodo suadet, id quod iam inde patet, quod idem impedimentum saltem ubi agitur de linea recta affinitatis etiam notum est apud populos non christianos et in iure antiquo Romano; affinitas vero in quantum est impedimentum matrimoniale *certo* non est iuris naturalis sed iuris ecclesiasticis tantum, ideo pro baptizatis erui potest tantum ex lege ecclesiastica, quae in casu satis clara videtur.

Modus loquendi communis apud canonistas *ante Codicem* iam non potest invocari ad interpretandum Codicem, si ipse Codex in can. 1015 alium modum loquendi ex professo proponit.

Quidquid est de hac disputatione, propter dubium iuris, quod certo adest si utraque pars non est valide baptizata non adest impedimentum affinitatis, quia iuxta can. 15 in dubio iuris leges etiam irritantes et inhabilitantes non obligant.

11) *Impedimentum publicae honestatis.* — Statuitur hoc impedimentum in Can. 1078. — Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu; et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa.

Duplex igitur indicatur fons unde hoc impedimentum oriri potest:

a) matrimonium invalidum;

b) concubinatus publicus vel notorius;

Ideo non oritur ex matrimonio *valido*: matrimonium validum igitur, quod non est sacramentum non inducit impedimentum affinitatis nec inducit impedimentum publicae honestatis.

Quidem matrimonium putativum inducit impedimentum publicae honestatis, quia est obiective invalidum.

Impedimentum publicae honestatis in Codicibus civilibus generatim non invenitur, neque invenitur in Sacra Scriptura, quare ab acatholicis negligitur.

Pro praxi difficultatem creat tantum secunda species impedimenti: concubinatus publicus et notorius, si enim adest matrimonium invalidum quod putatur validum novum matrimonium cum ascendentibus vel descendentibus partis prioris bona fide iniri non potest, quia in casu partes putant adesse impedimentum affinitatis.

Notandum responsum Commissionis i. C. datum die 12 Martii 1929 [33].

Quaesitum fuit: An vi huius canonis (1078) ex solo actu, ut aiunt, civili inter eos de quibus in can. 1099 § 1, independenter a cohabitatione oriatur impedimentum publicae honestatis.

Respondetur: negative.

Uti in ipsa quaestione expresse dicitur, agitur de iis tantum, de quibus in can. 1099 § 1. a. v. de catholicis, qui tenentur ad contrahendum in forma catholica, pro acatholicis baptizatis vero etiam solus actus civilis sine cohabitatione inducit impedimentum publicae honestatis.

12) *Impedimentum cognationis spiritualis.* — Duplex est species huius impedimenti uti videre est in Can. 1079. — Ea tantum spiritualis cognatio matrimonium irritat, de qua in can. 768.

Can. 768. — Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus.

---

[33] A.A.S. 1929 XXI p. 170.

Prima species cognationis spiritualis inter baptizatum et ministrum baptismi etiam apud acatholicos occurrit: omnis enim baptismus validus, etiam privatus, hanc cognationem spiritualem inducit et consequenter impedimentum matrimoniale.

Observandum vero, quod solus baptismus *certo* validus inducit impedimentum, dum baptismus dubius nullo modo inducit impedimentum, nequidem impedimentum dubium. Dicitur enim in Can. 763 § 2. — Iterato baptismo sub conditione neque patrinus, qui priori baptismo adfuit, neque, qui posteriori, cognationem spiritualem contrahit, nisi idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit. Quae regula uti animadvertit CAPPELLO[34] valet profecto etiam de ministro baptismi.

Certo baptismus, qui sub condicione iteratur non tollit impedimentum existens, ideo etiamsi baptismus non iteratur sub conditione, sed iterari deberet, cognatio spiritualis et impedimentum non adsunt. Apud acatholicos vero baptismus saepe dubius est, quare non incurrunt impedimentum.

Secunda species impedimenti, inter baptizatum et patrinum inter acatholicos baptizatos verificari potest tantum si agitur de acatholicis, qui nulli sectae adscripti sunt: quia si sectae adscripti sunt vi can. 765 2 non possunt valide fungi officio patrini, si vero non sunt patrini veri non incurrunt impedimentum. Quae supra diximus de baptismo dubio etiam hic applicari debent. Practice igitur rarissime tantum hoc impedimentum apud acatholicos baptizatos occurrit.

13) *Impedimentum cognationis legalis.* — Sufficiant ea, quae supra dicta sunt de impedimento cognationis legalis in quantum est impedimentum impediens tantum.

L. BUYS S. I.

---

[34] CAPPELLO, *o. c.* n. 588.

TRIGINTA MILLIA LIBELLARUM SEU FRANCORUM

Huius articuli materia, quam fateor vix esse intactam, desumitur ex canone 1532, vi cuius requiritur licentia Sedis Apostolicae pro alienatione rerum immobilium ecclesiasticarum valoris excedentis triginta millia libellarum seu francorum. Quaeritur utrum intelligenda sit summa 30.000 lib. vel fr. monetae usualis (chartaceae scilicet) an aliqua alia summa proportionata ad mutatam capacitatem monetae? Et haec alia summa, in casu, quomodo determinanda?

Status quaestionis hic fere erit. Finis intentus in hoc canone, sicut in ceteris de alienatione, tutela erat patrimonii Ecclesiae. Ad hunc finem voluit Legislator reservare ad S. Sedem licentiam concedendam pro alienationibus maioris momenti, stabiliendo summam quae esset et moderata ut patrimonio caveretur, et satis ampla ne nimia negotia traherentur ad S. Sedem neve nimis limitaretur potestas administratorum inferiorum [1]. Talis summa eo tempore visa est 30.000 lib. vel fr., monetae scilicet communis et aequalis omnium nationum Unionis Monetariae latinae a. 1867. Sed, uti evidens est, recursus hodie ad S. Sedem pro omni alienatione valoris supra 30.000 lib. monetae actualis vix non opprimeret tum S. Sedem tum administratores. Nec videtur speranda talis *deflatio* quae mox, ne dicatur umquam, reduceret has monetas ad fere pristinos valores [2]. Nec optanda talis deflatio: desiderandum potius ut moneta reddatur stabilis in eo valore quem habet.

---

1 *Vide* A. Larraona, CMF, *Comm. pro Relig.*, XIV (1933) 42.

2 W. Foster-W. Catchings, *Money*. p. 146; New York, 1923 (rpd. 1932).

Quaenam igitur summa hodierna congruet simul cum textu canonis atque cum fine intento? Duae solutiones, in genere, proponuntur. Una, quam vocabimus intrinsecam, retineret ipsa verba canonis 30.000 lib. seu fr., intelligendo libellas vel francos, uti dicunt, aureos[3]. Sic ad auream aequivalentiam haberetur norma fixa, ab ipso Codice pro omni tempore et loco determinata. Alia solutio, quasi ab extrinseco, intelligeret Codicem proponere veluti typum contemporaneum, ulterius determinandum pro varietate adjunctorum. Primo de Theoria Aurea; deinde de solutione altera.

I. Theoria Aurea

A. *Notio.*

Primo igitur de ipsa notione normae aureae. Supponit, uti evidens est, monetam de qua agatur re vera fundari in auro: i. e. loco ipsius metalli adhibentur chartae nummariae quarum unaquaeque est titulus legalis pro certa quantitate auri, quacum (theoretice saltem) est libere convertibilis. Ideo si non imprimerentur plures chartae nummariae quam istae quantitates auri in thesauro existentes, numquam posset esse discrimen inter monetas aureas et chartaceas. Revera hoc nec observatur nec optandum est. Imprimuntur potius multo plures chartae nummariae, in suppositione bene fundata quod numquam exigentur simul tot conversiones. Si autem non servatur recta aliqua *proportio* ad aurum reservatum, sed nimis multiplicantur chartae nummariae, tunc non iam sufficiet copia auri pro desiderio conversionis. Ideo acquiretur istis minor quantitas auri.

Simul etiam accidit — quod est maioris momenti — ut quo magis multiplicentur chartae nummariae eo viliores ipso facto reddantur. Unde fit ut quis decem denariis debiti, quibus tempore debiti contracti emisset machinam

---

[3] Patet monetam auream his diebus esse, practice saltem, potius conceptum quam rem.

aliquam, tempore solutionis non emeret forte nec panem. Hinc est quod nonnumquam introducitur in contractus « clausula aurea », ut dicitur, qua debitor se obligat ad solvendum non iuxta valorem facialem denarii tempore solutionis, sed iuxta quantitatem auream denarii tempore debiti contracti. Ita e. g. si denarius non iam converti poterit nisi in dimidiam partem auri prioris, solvendi erunt tot denarii, duplo in casu, quot adaequent eandem quantitatem auri quam denarii priores repraesentabant. Itaque, receptis proportionate pluribus denariis inferioribus, creditor reponetur in condicione sua priori, respectu scilicet capacitatis suae acquisitivae.

Et hoc fere est quod theoria aurea fieri iubet quoad 30.000 lib. Quantum decresceret valor libellae chartaceae respectu libellae aureae legalis, tantum augeretur numerus libellarum. Ita qui a. 1918 potuit alienare res ad valorem 30.000 lib. sine beneplacito apostolico, hodie — si libella non aequivaleat in auro nisi tertiae parti illius libellae — alienare poterit 90.000, iuxta hanc theoriam.

B. *Applicatio*

Hucusque generalissimo modo. Quando autem descenditur ad concretam applicationem systematis, inveniuntur quatuor distincta phenomena possibilia, immo actualia, quibus summa a Codice proposita debet aliquomodo accomodari. Singula erunt respicienda, et videndum quali successu theoria possit eis applicari.

1. Moneta aurea immutata, chartacea aeque valet. Tunc, uti patet, nullus est locus theoriae aureae. Immo per hanc saltem theoriam nulla mutatio permittitur, etsi pretia rerum multo forte maiora inveniantur. An detur nunc huiusmodi casus me latet; habebatur casus in Statibus Foederatis Americae e. g. anno 1926. Notandum quod theoria nihil prodest in talibus adjunctis. Quaestio autem haec cum sit potius de principiis quam de applicatione, amplius tractabitur suo loco.

2. Moneta aurea manet legaliter fixa, sed chartae nummariae minoris aestimantur. Casus habetur quando quis volens commutare libellas (e. g.) chartaceas pro auro, expendere cogitur sex, dicamus, pro quantitate auri quae debet correspondere quinque libellis. Cognoscitur proportio ex quotationibus officialibus pretii auri, secundum quod commutandae sunt chartae nummariae. E. g. si libella debet repraesentare unam grammam auri, pretium autem officiale unius grammae est una libella chartacea, chartae nummariae sunt « ad par ». Si pretium est duplum, valor monetae chartaceae dimidiatus est. Tunc 30.000 libellarum « aurearum » erunt ut 60.000 libellarum actualium. Unica ergo operatione coaequantur.

Hic erat casus e. g. quando scribebatur, a. 1924, valorem franci aurei esse « circiter quadruplum franci chartacei, itemque libellae chartaceae », ideoque summam 30.000 lib. esse quater multiplicandam [4]. Idem erat casus, ni fallor, quando a. 1927 eadem summa aestimabatur 210.000 fr. belg [5].

Et hic, uti videtur, est status rerum quem auctores communiter respiciunt, quando loquuntur de computatione « iuxta valorem aureum », vel quando referunt ad aurum tamquam valorem verum, constantem [6], fixum [7], perpetuum [8] etc.

3. Sed datur, uti innuimus, aliud phenomenon quod aliquomodo mutat speciem facti. Ipsa scilicet moneta aurea mutatur. Sic in Italia a. 1927 et iterum a. 1936, ipsa quantitas auri quam libella repraesentare debuit diminuta est a millogrammis circiter 290 primo ad fere 79, deinde ad fere 46. Sic etiam nova mensura lege assignata est mo-

---

[4] M. a Coronata, OMC., *Instit. Iur. Can.* I, n. 560 (p. 677) nota 4; Ed. 1.

[5] J. Creusen, *S. J.*, *Rev. Comm. Relig.*, III (1927) 131.

[6] S. Goyeneche, CMF., *Comm. pro Relig.*, XXVI (1947) 110.

[7] A. Larraona, CMF., *Comm. pro Relig.*, XIV (1933) 42, nota 702.

[8] L. Fanfani, OP., *De Iure Relig.*, n. 158 (p. 180), Taurin., 1925 (ed. 2).

netis in Gallia a. 1928, in St. Foed. Amer. a. 1934, in Helvetia a. 1936[9]. Et fortasse etiam alibi.

Cuius significatio haec est. Si, facta tali reductione, nunc adaequatur summa 30.000 lib. usualium cum moneta aurea, habentur exacte 30.000 lib., et quidem « aurearum ». Sunt autem multo viliores quam libellae aureae priores, uti patet, siquidem reductio fit ad valorem monetae actualis. Unde administrator hac theoria fretus, qui pridie potuit alienare 100.000 lib. chartacearum propter discrepantiam ab aureis, nunc — eliminata discrepantia — non potest alienare nisi 30.000 earundem praecise libellarum. Sic autem alienator nullo modo reponitur in pristina capacitate. Aliis verbis, ipse finis theoriae non salvatur neque argumenta quaedam auctorum verificantur, nisi recursus ad valorem aureum intelligatur non simpliciter ad monetam auream, id quod verbotenus postulant, sed specifice ad monetam auream a. 1918. Sed hanc revera, etsi pauci tantum illam nominent[10], ceteri supponere videntur. Quod patet tum ex argumentis (e. g. quod capacitas acquisitiva debet esse stabilis et universalis[11]) tum ex summis quas computant. Sic pro Italia a. 1938 computabantur 180.000 lib.[12].

Effectus autem, quatenus ad applicationem, idem erit ac casus prioris. I. e. chartae nummariae in cursu adaequandae erunt unica operatione non iam (uti supra) ad valorem aureum novum sed ad pristinum, anni sc. 1918.

---

[9] *Encycl. Ital.*, XXIII, « Moneta », p. 650; *L'Ami du Clergé*, XLVI (1929) 12; G. Robinson, *Monetary Mischief*, pp. 160 seqq. New York, 1935; *Il Monit. Eccles.*, 1947 pp. 41 seqq. Nos latet de quanam « lege » scripserit Vermeersch, « In non una regione, iam lege stabiliter verus valor monetae praesentis relatus ad auream definitus est ». (*Epit.* I, n. 658, nota 1). Sed notandum *has* saltem leges statuisse potius novam monetam auream.

[10] A. Cance, *Le Code de Droit Can.*, III, N. 164 (p. 267) nota 2; *L'Ami du Clergé, loc. cit.*

[11] E. g. Larraona, *CpR.* XIV (1933) 48.

[12] A. Ellis, S. J., « Triginta Millia Libellarum seu Francorum », *Periodica*, XXVII (1938) 353.

Sic in St. Foed. Amer. ab a. 1934 doll. aureum non valet nisi circiter 60 per centum doll. prioris, seu fere ter quinta pars. Ergo quantitas auri 30.000 lib. a. 1918, quae praevie continebatur in 6000 doll. nunc non continetur nisi in numero supra 10.000 doll. (utique inconvertibilium). Unde quidam dicunt non requiri licentiam S. Sedis nisi res alienanda excedat hanc summam [13].

Sic etiam, statim post novam legem ital. a. 1927, qua libella diminuta est ad quasi quartam partem prioris ponderis auri, augenda erant 30.000 lib. proportionate, sc. quater. Et sic de ceteris.

Iam vero iterum potest contingere ut depretietur moneta chartacea. Tunc facienda erit duplex operatio, una qua moneta chartacea refertur ad novam unitatem auream, alia qua haec refertur ad priorem. Sic, libella aurea diminuta per legem ad quartam partem, dicamus chartam nummariam ita ulterius depretiari ut iam non aequivaleat nisi dimidiae parti huius novae libellae aureae. Tunc 30.000 lib. duplicari oportet ut aequivaleant libellis novis aureis (60.000); deinde hanc summam quater multiplicari ut aequivaleat denique libellis aureis a. 1918 (240.000). Sic, fortasse, dicebatur anno proxime elapso 30.000 fr. actualium belg. multiplicanda esse vicies [14].

4. Sed restat considerandus quartus casus. In omnibus casibus hucusque examinatis nota erat ratio auri quae debebat legaliter correspondere monetae, et relatio monetae actualis ad hanc normam legalem. Quomodo applicanda theoria quando non habetur vel non cognoscitur fundamentum aureum; aut quando, etsi typus maneat legaliter, nulla iam cognoscitur relatio monetae usualis ad typum? Difficultas haec habetur non quando moneta mere non est « convertibilis » (quia adhuc servari et cognosci potest re-

---

[13] T. Bouscaren, S. J. - A. Ellis, S. J., *Canon Law*, p. 770; Milwaukee, 1946; qui tamen intelligunt devalutationem esse temporaneam.

[14] E. Jombart, S. J., *Rev. Comm. Relig.*, XVIII (1946) 81.

latio sua ad aurum) sed quando ignoratur qua ratione vel proportione *esset* convertenda; eo quod non iam publicatur, sive a Statu sive a bancis, officiale pretium auri. Sicut e. g. in Italia iam diu non publicatur.

Non potest fieri comparatio directa, uti patet. Neque est referendum ad pretium quo aurum emitur « cambio libero ». Hoc enim modo emitur sine ulla ratione monetaria, haud secus ac machinae, vestimenta et cetera. Sed potestne fortasse computari indirecte, iuxta commutationem cum alia moneta cuius valor aureus cognoscitur? Sic, supponatur 30.000 fr. Codicis iam stabilita esse, iuxta normam auream, ad circiter 40.000 fr. helvet.; quae dicamus hodie commutari « cambio officiali » (quod solum habet aliquam rationem monetariam) per 1.000.000 libellarum circiter. Potestne dici hanc summam aequivalere hodie 30.000 lib. (aureis) Codicis?

Hoc videtur negandum. Primo, non potest vocari stricto sensu summa aurea, ne indirecte quidem. Etsi enim computatio alterius nationis sit iuxta aurum, ratio tamen qua commutantur monetae inter nationes non necessario fundatur in auro (ne tunc quidem quando ratio aurea viget in utraque regione [15]) sed saepe, et praesertim quando una moneta est valde instabilis, determinatur « cambium » consensu omnino arbitrario vel actione etiam unilaterali.

Neque, ni fallor, dici posset hanc summam repraesentare eandem saltem capacitatem acquisitivam. Nam prètia rerum inter nationes, praesertim in temporibus adversis, differunt non tantum qualitate monetae sed etiam quantitate. E. g. libri aliqui editi in America venduntur ibi 10 doll.; libri eiusdem fere generis editi in aliquibus partibus Europae venduntur duobus circiter millibus libellarum. Quae utique non est proportio « cambii ». Si mere commutantur monetae, ab una parte possunt emi plures libri, ab alia ne unus quidem. Et sic dicendum de tali com-

---

[15] E. g. « cambium » libellae apud S. F. Amer., Britann., Gall., Aug. 1918; *Encycl. Ital.*, « Lira », XXI, p. 251.

putatione 30.000 lib. Adaequatis monetis, aliis verbis, non necessario adaequatur capacitas acquisitiva, quae pendet a tota oeconomia forte multo diversa respectivae nationis.

In talibus ergo adjunctis necesse erit suspendere applicationem, strictam saltem, theoriae. Sed concedatur has circumstantias esse temporaneas, nec ideo obstare principio secus valido, hoc tamen ultimum exemplum occasionem dat quaestioni magis generali, quousque scilicet re vera desideretur mathematica translatio, uti ita dicam, 30.000 lib. in varias monetas vel secundum variationes eiusdem monetae.

C. *Principium.*

Hucusque consideratum est utrum moneta aurea, qua medium cambii, sit satis universalis ut possit semper et ubique cognosci summa quae aequivaleat 30.000 lib. Codicis. Si vero sumitur aurum ut mensura valoris surgit nova quaestio, sc. utrum expediat necne normam auream applicare. Assignatio summae 30.000 lib. vel fr. actualium ideo est inutilis hodie quod capacitas eius acquisitiva multum mutata est. An capacitas ipsius auri est satis stabilis ut illa quantitas quae a. 1918 repraesentabat alienationem intentam a Codice, eandem fere repraesentet etiam hodie? Argumenta enim sumpta ex mutabilitate valoris chartacei vix probant pro aureo nisi hic maneat fixus.

Si autem hoc verum est, pretia quoque rerum eatenus fixa consistere debent quatenus moneta aurea ipsa non mutetur, chartacea vero aut non sit in usu aut aequivaleat auro. Iam vero, uti testantur scriptores de re oeconomica, pretia rerum per aliquot annos valde variantur moneta (etiam pure aurea) omnino immutata; dum, vice versa, ratio aurea mutatur pretiis eisdem manentibus. Ut omittamus saec. XIX in quo potentia acquisitiva ipsius auri primo duplicata est deinde dimidiata[16], in Stat. Foed. Amer. e. g.

---

[16] FOSTER-CATCHINGS, *op. cit.*, pp. 43-44.

ab a. 1913 ad a. 1920 moneta manebat convertibilis in eandem quantitatem auri; anno autem 1920 capacitas eius acquisitiva descenderat ad unam tertiam partem illius a. 1913[17].

Praeterea quando a. 1934 imminuta est aurea quantitas doll. id factum est praecise ut restituerentur pretia a. 1926[18]. Cuius significatio haec est: capacitas acquisitiva auri ita nimis creverat (pretiis declinantibus) ut non potuisset revocari prior relatio huius monetae ad res nisi minuendo eius quantitatem auri. Aliis verbis non eadem quantitas sed praecise diversa (minor) repraesentabat eo tempore eandem capacitatem acquisitivam. Nec constat mutationes subsequentes tribuendas esse novo doll[19]. Porro pretia valde aucta sunt his diebus, doll. novo iam diu stabili. Breviter ergo, non potest inveniri constans relatio auri ad pretia, seu quod idem est, constans capacitas acquisitiva.

Et ratio est quia valor auri, sicut cuiuslibet rei pretiosae, variatur ob plures causas:

1. Ob ipsius copiam. Nam quanto maior copia monetae cuiuslibet generis invenitur apud emptores, tanto maius pretium exigi potest pro rebus, ideoque tanto pauciores res pro unaquaque e. g. libella, etiam puri auri, emi possunt. Unde valor auri, cum dependeat partialiter a copia auri, pendet quoque ab omni modo quo aurum producitur vel invenitur; maxime autem pendet ab iis modis quibus aurum artificialiter multiplicatur; a moneta chartacea scilicet, immo et credito bancario. Unde moneta aurea non tantum non determinat valorem monetae chartaceae qua repraesentatur, sed ipsius valor potius ab hac determinatur, et magna saltem parte ab eius sola quantitate. Nam

---

17 *Ibidem.*

18 G. Robinson, *Monetary Mischief*, p. 147-149.

19 Robinson, *op. cit.*, p. 153. Rationes dubitandi: (1) alia media efficacia simul adhibita; (2) ipsum *medium proximum* (augmentatio monetae usualis) non adhibitum. PP. 153-156; 167; 173.

haec et creditum etsi non sint aurum, cum tamen adhibeantur ad paritatem cum auro, eundem effectum habent multiplicandi aurum, ideoque variandi eius capacitatem acquisitivam — punctum praecisum a nobis perpendendum [20].

Nec per se et eandem ob causam, habebit parem valorem in una natione ac in alia ubi forte copia auri non est eadem, aut modus negotiandi est diversus.

2. Ex alia parte, valor auri dependet a copia etiam rerum quae venales prostant. Nam manente quidem eadem copia monetae, etiam aureae, venditores quando habent multas res de quibus disponendum est, non possunt exigere tantum pretium quantum pro paucis rebus desideratis a multis. Seu simpliciter, pretia — ideoque capacitas acquisitiva cuiuslibet monetae — subiciuntur legi, uti dicitur, oblationis et petitionis. Sic autem subiciuntur etiam omnibus condicionibus oeconomicis alicuius nationis vel totius mundi; nec tantum methodis negotiandi (uti supra) sed etiam modis et methodis et quantitate productionis et transvectionis, novis inventionibus, fastidiis et exigentiis populi, ipsi quoque psychologiae negotii quae dicitur et ita porro.

Ita, illustrationis gratia, iam ab a. 1919, quando ad strictam aequivalentiam auream summa 30.000 lib. manebat 6000 circiter doll. convertibilium pari valore, unus saltem canonista americanus iam tum scribebat summam apud eos, ratione sola pretiorum, debere aestimari 10.000 ad 12.000 doll. [21]; eandem fere summam quae nunc proponitur iuxta normam auream. Unde primo, eadem quantitas auri 30.000 lib. a. 1918 iam non videbatur dare eandem capacitatem acquisitivam; secundo, si hodie nova summa 10.000 doll. de facto aequivaleat 6000 doll. priorum (quod

[20] Punctum evolvunt G. Cole, *Che Cosa E' Il Denaro?* p. 9, Florence, 1936; Foster-Catchings, *op. cit.,* 46-48; brevius, Robinson, *op. cit.,* 155.

[21] C. Augustine, OSB., *A Commentary On The New Code,* III, p. 186; ed. 2.

vix dicendum) non est per se, propter aequalitatem auri, sed per accidens; haec enim summa iam proponebatur multo ante mutationem.

Unde non apparet laudata illa constantia monetae aureae: neque in se, cum ratio ipsa aurea mutetur, immo evanescat, neque in capacitate sua acquisitiva.

Poterit tamen obici solutionem aliquam non destrui propter defectum tantae perfectionis quantam nemo illi, vel cuilibet alii, tribueret. Et re vera videtur historice constare quod ubi ratio aurea viget in monetis, et quanto magis moneta chartacea perseverat convertibilis et a pari cum mensura aurea, saltem eo minus variantur pretia ideoque capacitas acquisitiva monetae [22]. Quapropter *si* tenenda est una norma quae, ut ita dicam, automatice applicetur sine interventu causae externae, tunc — quatenus saltem applicari possit — norma aurea optima (ne dicam unica) erit, admissis utique limitationibus et defectibus. Nam etsi non repraesentet omnino et mathematice eandem capacitatem acquisitivam, quod videtur impossibile, tamen primo, magis favet fini legis quam computatio monetae saltem chartaceae; secundo, defectus identitatis valoris compensabitur universalitate normae. Argumentum in casu posset sequenti modo proponi: Legislator, cognitis diversis monetis populorum et variationibus temporum, cum potuisset relinquere summam S. Congregationibus determinandam, Ipse tamen statuit summam fixam: cui legi, praecise *qua* legi, magis conformis videtur applicatio secundum criterium intrinsecum licet mancum, quam continuus interventus superiorum.

Utique supponitur semper non intervenire S. Sedem aliud statuentem. Ideo videndum est utrum inveniatur necne in documentis post Codicem aliquid sive favorabile sive adversum theoriae propositae, seu utrum licite applicari possit.

---

22 FOSTER-CATCHINGS, *op. cit.*, 80; 48-49.

D. *Documenta*

Primo dicendum nec a Pontificia Commissione pro Interpretatione Codicis nec ab ulla S. Congregatione aliquid directe et positive statui, saltem publice. Adsunt tamen hinc inde nonnullae indicationes quae quaestionem saltem tangunt quasque oportet examinare.

1. Nullum invenitur documentum ab ipsa S. Cong. pro Relig. publicatum. Auctores tamen referunt duo indicia: primo quod in praxi saltem admittit computationem auream [23], secundo quod in suis documentis S. Cong. evitat omnem mentionem normae aureae, eamque in constitutionibus (e. g.) a Se approbandis evitari vult [24].

2. Haec quoad ipsam S. Congregationem. In regione tamen Stat. Foed. Amer. prodiit Instructio 13 Nov. 1936 a Delegato Apostolico, auctoritate S. Cong. de Relig. data, ad omnes superiores religiosos, indicans summam 6000 doll. uti limitem extra quam requiritur beneplacitum apostolicum pro alienatione facienda. Prosequitur Delegatus A. hanc summam esse intelligendam tamquam aequivalentem 30.000 lib. seu fr. Codicis, et quidem relate ad valorem monetae in auro fundatae [25]. Iam vero, uti dictum est, fautores theoriae aureae volunt praecise aurum a. 1918. Sed 6000 doll. post a. 1934 non iam aequivalent auro a. 1918, ad quod requiruntur supra 10.000 doll. monetae praesentis. Hinc est quod aliqui intelligunt illa verba Instruc-

---

[23] E. g. LARRAONA, *CpR* XIV (1933) 42; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome*, I. n. 657 (p. 474) nota 2; ed. 6; D. JORIO, *Le Vergini Prudenti*, D. 129 (p. 68) nota; Roma, 1932; BOUSCAREN-ELLIS, *Canon Law*, p. 770; C. BERUTTI, OP., *De Relig.*, p. 120, nota 3, 1936.

[24] LARRAONA *loc. cit.*; BERUTTI, *loc. cit.*; P. BASTIEN, OSB., *Directoire Canonique*, n. 357, 5 (p. 237) nota 2; ed. 4.

[25] « The aforesaid sum of six thousand dollars should be understood, in connection with the terms of the Code, as the equivalent of 'thirty thousand lire or francs' and in reference to the value of currency based upon gold in distinction to other currencies, gold coin being the true unit of value. In this connection the value is based upon such stable gold content and rate of exchange ». Apud BOUSCAREN, *Canon Law Digest*, II, p. 163.

tionis tamquam suadentia elevationem faciendam, propter fluctuationem auream, ad 10.000 doll. monetae praesentis [26]; alii autem interpretantur Delegatum A. definitive statuisse summam 6000 doll. praesentium [27], quae utique sunt aurea licet minora. Igitur Instructio certe favet theoriae aureae in genere, sed non certe in tota sua amplitudine.

3. Recentius invenitur aliud documentum eiusdem Delegati A. in quo asserit se iam recepisse a S. C. pro Relig. facultates permittendi aes alienum, venditiones alienationesque bonorum ad religiosum institutum pertinentium, quando summa non excedit 500.000 doll. aureorum [28].

4. De S. C. Concilii vero refertur praxis omnino diversa; sc. quod pro Italia S. Congregatio in frequentibus responsis particularibus, etiam recentibus, stat pro valore nominali currenti licet chartaceo [29]. In aliquibus autem facultatibus quinquennalibus extra Italiam mos est concedere potestatem ad licentiam dandam in casibus urgentibus usque ad certas summas monetae respectivae nationis. Sic in Stat. Foed. Amer. a. 1923 usque ad 10.000 doll [30]. Et notari potest S. Congregationem a. 1939 iterum assignasse eandem summam [31] etiam quando, mutata moneta, nonnulli dicebant hanc summam iam esse intra potestatem Ordinarii.

5. Sed ex alia parte habetur Resolutio eiusdem S. C. Concilii a. 1923 de computanda summa qua canon in casu emphyteusis debeat redimi. Species facti: si solutio fieret titulis publicis qui inscribebantur e. g. 100 lib. (valor *nominalis*) sed emi poterant 70 (valor *realis*), utrum con-

---

[26] BOUSCAREN-ELLIS, *Canon Law*, P. 770.

[27] *Ecclesiastical Review*, CI (1939) 559-560.

[28] « ...half a million gold dollars ». Epistola Apr. 3, 1947 ad Rev. mos Ordinarios, publicata in *Homiletic and Pastoral Rev.* XLVII (1947) 663.

[29] « L'Applicazione del Can. 1532 C.J.C. », *Il Monit. Ecc.*, 1947, pp. 41-42.

[30] Apud VERMEERSCH-CREUSEN, *Epit.*, I, Append. III, p. 658, n. 5; ed. 6.

[31] BOUSCAREN, *Canon Law Digest*, II, p. 35, n. 5.

siderandi essent ut 100 lib. an 70 in ordine ad redemptionem canonis. Dubium ergo propositum est, « An Episcopus vi canonis 1542, § 1 permittere possit redemptionem canonum titulis publicis iuxta horum valorem nominalem ». Et resolutum est: « Negative, si valor nominalis sit superior valore reali » [32]. Unde, in casu tituli considerandi erant non ut 100 lib. sed ut 70; ideoque canon e. g. 70.000 lib. redimendus erat non 700 titulis huiusmodi sed 1000.

At dubitari potest an haec responsio faveat theoriae aureae, quia non agebatur omnino de eadem re. Quaesitum est quomodo tituli essent computandi in ordine non praecise ad licentiam petendam, sed ad solutionem exigendam. Iam vero bene potuit S. Congregatio velle, eadem sua providentia et quidem sine contradictione, ut ratio habeatur maioris summae pro solutione exigenda, minoris vero pro licentia petenda. Sed neque, uti patet, reprobatur theoria aurea.

6. Magis clarae simul et favorabiles videntur hae litterae S. C. de Prop. Fide (10 iul. 1920) ad R. P. D. Vicarium Apost. Mongoliae Orientalis dicentes: « Quod spectat ad ... c. 1532, valor francorum aestimandus est ex ratione normali nummorum, non autem ex cursu cambii » [33]. Utique non nominatur aurum; sed si ratio normalis nummorum erat aurea, per has saltem litteras computari poterat iuxta valorem aureum. Neque ipsae tamen provident mutationi ipsius normae aureae: quando sc. nova paritas lege statuitur, quae utique non est mera « cambii » mutatio.

7. Alia indicatio mentis eiusdem S. Cong. invenitur in hoc, quod a. 1928 permisit in Sinis retentionem summae 15.000 doll. sinens. pro aequivalenti 30.000 lib. [34]. Iam vero, primo non apparet utrum haec summa computata fuerit

---

[32] « Romana Et Aliarum », *AAS*, XV (1923) 513-514.
[33] Apud *Sylloge*, n. 80 (p. 138).
[34] Prim. Concil. Sinens., *postulat. 19;* apud ELLIS, *Period.* XXVII (1938) 351.

necne iuxta aurum. Citatur utique tamquam favorabilis normae aureae. Secundo, etsi aequivaleat computationi aureae, fortasse obici potest S. Cong. nullo modo eis relinquere applicationem liberam normae aureae, sed Ipsam permittendo statuere summam fixam ab eis observandam.

Conclusio

Unde ad liceitatem quod attinet, primo attendendum erit in unaquaque regione utrum aliquid a competente S. Congregatione definitive statuatur, sive directe (vetans auream computationem vel praescribens aliam) sive indirecte, indicando summam respectivam. Secus, manet sententia auctorum sat communis tuto applicari posse, quatenus utique sit possibile, auream normam. Et quidem iuxta aurum 1918 secundum eos paucos qui explicite illud nominant; immo secundum omnes, uti videtur, attentis argumentis. Ubi autem non iam existit vel non cognoscitur relatio ad typum aliquem aureum, suggerenda fortasse esset summa aestimata iuxta mensuram ultimam cognitam.

Quae utique dicuntur de praxi tuta saltem auctoritate extrinseca, non de solutione necessario praeferenda; manet enim altera solutio respicienda.

II. Solutio ab extrinseco petita

Altera solutio cum simplicior sit, breviorem tractationem postulabit. In genere opponitur ipsi fundamento theoriae aureae; negat scilicet summam Codicis admittere adaptationem internam, seu subintelligere instrumentum aliquod quo quasi mechanice provideatur mutatis adjunctis. Sic e. g. asseritur [35] Codicem assignantem sine addito 30.000 fr. seu lib. intendisse simpliciter sensum normalem vocis, quae est moneta usualis licet chartacea. Unde cum haec assignatio evaserit hodie inutilis, quod iam inde ab ini-

35 « L'Applicazione », *Il Mon. Ecc.,* 1947, 44.

tio praevideri potuerit, sequitur eam intelligendam esse exemplum potius, seu typum cui alia summa — ubi primum per oeconomiam mundialem liceat — substituenda est ab Auctoritate suprema. Interim recurrendum ad determinationes particulares, si quae dentur — sicut aliquas vidimus — vel indulta particularia Delegatorum Ap. vel Ordinariorum.

Sic quaestio de summa hodierna intelligitur non iuris, seu per quam normam determinanda sit, sed facti, seu quaenam nova summa sit auctoritative imponenda. Admittitur ergo antecedens, i. e. licentiam petendam non debere ab extremis fluctuationibus monetae chartaceae pendere; negatur vero consequens, i. e. adaequationem esse iam intrinsece provisam in ipsa summa Codicis intellecta uti aurea.

In specie autem duo argumenta notanda sunt. Primo, nonnumquam citatur pro theoria aurea ipsa paritas quam Codex ponit inter libellas et francos[36]. Sed obicitur hanc aequiparationem non obstare quin intelligantur monetae iuxta valorem facialem, seu non supponere aurum tamquam solum elementum commune, quippe quod illo tempore fuerint valore etiam actuali aequales[37]. Hoc utique invenio disputatum: realem scilicet valorem libellae a. 1918 fuisse multo inferiorem franco gall.; nec igitur potuisse aequiparari cum eo nisi valore aureo[38]. Porro, relate ad francum helvet., tempore belli primi mundialis valor realis libellae refertur descendisse versus finem a. 1917 usque ad 59 centesimos[39]. Si autem respicitur momentum non promulgationis sed praeparationis Codicis, fatendum videtur libellam ital.[40] variosque francos, per quinque

---

[36] E. g. J. Chelodi, *De Pers.*, n. 261 (p. 411) nota 1, ed. 3.
[37] *Il Mon. Ecc., loc. cit.*
[38] *L'Ami du Clergé*, XLVI (1929) 12.
[39] *Encycl. Ital.*, « Lira », XXI, 251. (*Vide* etiam hac de re C. McGuire, *Italy's International Economic Position*, p. 186; New York, 1927).
[40] *Encycl. Ital., loc. cit.*

saltem annos ante initium belli, tantam stabilitatem in seipsis tantamque inter se paritatem habuisse ut aequiparari possent sine recursu ad aurum.

Secundo, iam inde ab a. 1922 Vermeersch notavit quaestionem de aureo valore esse transmissam a S. C. Concilii ad Pont. Comm. pro Interp. Cod. [41]. Idem casus refertur nuperrime, addito responso Commissionis, « Ad S. C. Concilii ». Quod secundum Auctorem videtur significare quaestionem esse non de interpretatione textus sed de applicatione tantum [42].

Estne necessaria haec conclusio? Prouti legimus, quaestio erat an recurrendum esset ad S. Sedem pro alienatione rerum utcumque pretiosarum, vel aliqua potestas sit penes Ordinarios quoad hanc rem [43]. Simul autem quaesitum est etiam quaenam summa constitueret « notabilem valorem » canonis 1497; et, dum proponitur summa 1000 lib., quaerebatur utrum *hae* (« queste ») libellae intelligendae essent iuxta valorem aureum. Responsum refertur « Ad S. C. Concilii ». Iam vero summa de qua agebatur non potuit esse summa aliqua in Codice, quippe qui nullibi determinat « notabilem valorem », sed intelligenda est illa quam ipse libellus protulerat. Porro, Commissio cum non respondisset ad primum de notabili valore, vix potuit respondere ad secundum, de norma etiam *huius* summae aestimandae. Unde non aperte recusavit competentiam propriam circa interpretationem summae iam determinatae in Codice.

Conclusio

Inter Scyllam et Charybdim vix iter tutum patescit. Si enim asserimus agi de *substitutione* novae summae, valde — ne dicatur nimis — multiplicantur summae statuendae non tantum pro variis temporibus sed pro variis etiam populis; nec tantum pro 30.000 sed etiam pro illis 1000

---

41 *Epit.* II, n. 819, nota.
42 *Il Mon. Ecc.*, *loc. cit.*, 44-45.
43 Occasio: « In Lauden. », *AAS XIV* (1922) 160-161.

lib. seu fr. eiusdem canonis. Si autem dicimus quaestionem versari circa *interpretationem* iuris, manent omnes imperfectiones normae aureae. Non videntur haberi argumenta sufficientia quibus mens Legislatoris in hac re certo detegi possit. Non sufficit simplex designatio summae in textu quae, uti vidimus, ab utraque parte pro sua sententia adhiberi potest. Nec responsum Commissionis Pontificiae — in quantum nobis videtur — decidit quaestionem in favorem primae sententiae, nec vicissim in favorem secundae sententiae decidunt responsa SS. Congregationum, quippe quae numquam definitivo modo normam auream approbaverunt. Neque expresse eam respuerunt. Quo agendi modo fortasse ipsae SS. CC. admittunt possibilitatem novae alicuius solutionis auctoritativae.

J. Reed, S. I.

MONUMENTA

17 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Litterae Encyclicae

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

DE SACRA LITURGIA*

(*Osservatore Romano,* 30 nov. 1947).

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

« Mediator Dei et hominum »[1], pontifex magnus qui penetravit caelos, Iesus filius Dei[2], cum illud misericordiae opus suscepit, quo humanum genus supernis cumulavit beneficiis, eo procul dubio spectavit, ut ordinis rationem, inter hominem eiusque Creatorem iam peccato perturbatam, redintegraret utque miseram Adae subolem, hereditaria labe infectam, ad caelestem Patrem, primum omnium principium supremumque finem, reduceret. Quam-

---

* Addentur commentarii in alio fasciculo.

1 *I Tim.*, II, 5.

2 Cf. *Hebr.*, IV, 14.

obrem, cum in terris commorabatur, non modo initae Redemptionis nuntium dedit, auspicatumque Divinum Regnum declaravit, sed adsidue precando seseque devovendo in animarum incubuit salutem procurandam, usque dum e Cruce pendens semet ipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi[3]. Itaque mortales omnes, ex via feliciter revocati, quae ad exitium ad interitumque eos misere abducebat, ad Deum iterum dirigebantur; ut per collatam operam cuiusque suam in propriam adipiscendam sanctitatem, quae quidem ex intaminati cruore Agni oritur, debitam Deo tribuerent gloriam.

Voluit autem Divinus Redemptor ut quam in mortali corpore supplicationibus suis suoque sacrificio inierat sacerdotalem vitam, eadem per saeculorum decursum non intermitteretur in Corpore suo mystico, quod est Ecclesia; atque adeo perspicibile sacerdotium instituit ad offerendam in omni loco oblationem mundam[4], ut homines sive in Orientis, sive in Occidentis regionibus a peccato liberati, ex suo conscientiae officio, ultro libenterque Deo servirent.

Ecclesia igitur, accepto a Conditore suo mandato fideliter obtemperans, sacerdotale Iesu Christi munus imprimis per sacram Liturgiam pergit. Idque facit primario loco ad altaria, ubi Crucis sacrificium perpetuo repraesentatur[5] et, sola offerendi ratione diversa, renovatur[6]; deinde vero per sacramenta, quae peculiaria instrumenta sunt, quibus superna vita ab hominibus participatur; postremo autem per laudis praeconium, quod Deo Optimo Maximo cotidie offertur. « Quam iucundum sane — ita Decessor Noster f. m. Pius XI — caelo terraeque spectaculum praebet Ecclesia orans, cum totos continenter dies noctesque

---

[3] Cf. *Hebr.*, IX, 14.
[4] Cf. Mal., I, 11.
[5] Cf. Conc. Trid., Sess. XXII, c. 1.
[6] Cf. Ibid., c. 2.

totas, psalmi divino afflatu conscripti concinantur in terris: nulla per diem computetur hora, quae propria non consecretur liturgia; nulla humanae vitae aetas, quae suum non habeat locum in gratiarum actionibus, laudibus, precibus, piaculis communis huius obsecrationis mystici Corporis Christi, quod est Ecclesia »[7].

Nostis profecto, Venerabiles Fratres, sub superioris saeculi exitum huiusque initium singularem excitatam esse liturgicorum studiorum concertationem cum ex privatorum hominum laudabili nisu, tum praesertim ex impensa ac sedula navitate quorumdam coenobiorum incliti Benedictini Ordinis; itaque non modo in multis Europae nationibus sed in transmarinis etiam terris laude digna ac frugifera succrevit hac in re contentio. Cuius quidem studiosae contentionis salutares fructus ut in sacrarum disciplinarum campo cernere licuit, ubi liturgici Occidentalis Orientalisque Ecclesiae ritus satius fuere altiusque pervestigati ac cogniti, ita in spirituali etiam privataque multorum christianorum vita.

Augustae altaris Sacrificii caerimoniae magis fuere notae, perceptae, existimatae; Sacramenta latius crebriusque participata, liturgicae preces degustatae suavius; atque Eucharistiae cultus — quod reapse retinendum est — christianae veri nominis pietatis fons et caput habitus est. Ac magis praeterea in sua luce est positum christifideles omnes unum arctissimumque efficere corpus, cuius caput est Christus, christianoque populo officium esse liturgicos aequo modo participare ritus.

Vobis procul dubio perspectum est Apostolicam hanc Sedem nullo non tempore curavisse diligenter ut credita sibi plebs recto imbueretur actuosoque liturgiae sensu; nec minus diligenter contendisse ut sacri ritus debita dignitate extrinsecus etiam eniterent. Nos ipsi quoque hac eadem super causa, cum quadragenarii temporis concio-

---

7 Litt. Encycl. *Caritate Christi* d. d. III Maii a. MCMXXXII.

natores almae huius Urbis anno MDCCCCXXXXIII ex more allocuti sumus, eos sumus adhortati vehementer ad suos cuiusque auditores commonendos, ut Eucharisticum Sacrificium impensius usque participarent; atque haud ita multo ante eo consilio ducti ut liturgicae preces rectius intellegerentur earumque veritas atque suavitas perciperentur facilius, Psalmorum librum, qui in Catholica Ecclesia harum precum tanta pars est, ex primigenio textu iterum in latinum transferendum curavimus [8].

Verumtamen dum id genus studia ob salutares, qui inde proficiscuntur, fructus, haud mediocre Nobis afferunt solacium, conscientiae officium postulat ut ad renovationem illam, prout hac in re a nonnullis praedicatur, animum convertamus Nostrum, curemusque diligenter ut suscepta proposita modum ne excedant, neve vitiosa omnino evadant.

Iamvero, si ex una parte valde dolemus nonnullis in regionibus sacrae Liturgiae sensum, intellegentiam ac studium mancum interdum esse ac fere nullum, ex altera vero multa cum sollicitudine, non timoris vacua, animadvertimus nonnullos novitatis nimio studiosiores esse, atque ex rectae doctrinae ac prudentiae via transversos aberrare. Siquidem iis consiliis ac votis, quae suscipiunt, de sacra renovanda Liturgia, principia saepe numero interserunt, quae vel ratione vel re ipsa causam hanc sanctissimam in discrimen adducunt, ac non numquam etiam talibus erroribus inficiunt, qui catholicam fidem atque asceseos doctrinam attingunt.

Fidei autem ac morum integritas peculiaris esse debet norma sacrae huius disciplinae, quae sapientissimis Ecclesiae eloquiis consona sit omnimodis oportet. Nobis igitur officium est, quod recte sit factum dilaudare ac com-

---

[8] Cf. Litt. Ap. Motu Proprio *In cotidianis precibus* d. d. XXIV Mart. a. MCMXXXXV.

mendare, quod vero e iusto itinere deflectat, continere vel reprobare.

Haud tamen reputent qui inertes ac segnes sunt, idcirco a Nobis comprobari, quod errantes reprehendimus audacesque refrenamus; neque imprudentes tum se a Nobis exornari laudibus existiment, cum neglegentes corrigimus atque ignavos.

Quodsi in Encyclicis hisce Litteris de latina potissimum Liturgia agimus, id non ex eo oritur quod minore aestimatione prosequamur venerandas Orientalis Ecclesiae Liturgias, quarum ritus, ex antiquis nobilibusque monumentis traditi, pari sunt Nobis ratione carissimi; sed ex peculiaribus potius Occidentalis Ecclesiae condicionibus oritur, quae quidem eiusmodi sunt, ut interponendam hac in causa auctoritatem Nostram postulare videantur.

Christiani igitur omnes vocem docili animo exaudiant communis Patris, qui eos universos, secum arctissime coniunctos, Dei aram adire percupit, eamdem fidem profitentes, eidem obtemperantes legi, idemque Sacrificium una mente unaque voluntate participantes. Id profecto honor Deo debitus postulat; ac postulant etiam nostrorum horum temporum necessitates. Postquam enim diuturnum saevumque bellum simultate ac caede disiecit populos, recte cordati homines aptiore quovis modo ad concordiam revocare omnes enituntur. Nullum tamen propositum atque inceptum putamus efficacitatem hac in re habere tantam, quantam actuosum illud religionis studium atque afflatum, quo christiani imbuantur ac ducantur necesse est; ita quidem ut eadem veritatis capita sincero animo amplexi, ac legitimis Pastoribus ultro libenterque obsequentes, debitumque praestantes Deo cultum, fraternam quamdam communitatem efficiant, quandoquidem « unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus » [9].

---

[9] *I Cor.*, X, 17.

I.

Illud procul dubio hominibus praecipuum officium est, ut se quisque vitamque suam ad Deum dirigat. « Ipse enim est cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet, sicut in ultimum finem, quem etiam negligentes peccando amittimus, et credendo et fidem praestando recuperare debemus »[10]. Homo autem recto ordine ad Deum dirigitur, cum supremam eius maiestatem, supremumque magisterium agnoscit, cum veritates divinitus patefactas prona suscipit mente, cum legibus ab eo latis religiosa observantia subicitur, omnem actionem navitatemque suam ad eum convertens; cum denique — ut rem breviter perstringamus — debitum cultum atque obsequium per religionis virtutem Deo uni et vero praestat.

Quod quidem officium si homines singillatim primo loco obligat, at humanam quoque communitatem universam, socialibus ac mutuis nexibus conformatam obstringit, cum et ipsa a summa Dei auctoritate pendeat.

Animadvertendum autem est homines peculiari modo hoc officio teneri, quia Deus ad ordinem eos evexit supra naturam positum.

Itaque, si Deum consideramus veterem condentem legem, eum cernimus de sacris etiam ritibus edere praecepta, accuratasque decernere normas, quibus populus obtemperet in legitimo eidem praestando cultu. Quamobrem varia statuit sacrificia, variasque designavit caerimonias, quibus dicatum sibi munus offerretur; eaque omnia perspicue significavit, quae ad foederis arcam, ad templum, ad diesque festos pertinerent. Sacerdotalem tribum et summum sacerdotem constituit; ac vestes etiam indicavit ac

---

[10] S. Thom., *Summa Theol.*, II-II q. LXXXI, art. 1.

descripsit, quibus sacrorum administri uterentur, et quidquid aliud praeterea ad divinum cultum respiceret[11].

Iamvero eiusmodi cultus nihil aliud erat, nisi quaedam illius adumbrata imago[12], quem Summus Novi Testamenti Sacerdos Patri caelesti erat praestaturus.

Siquidem, vixdum divinum « Verbum caro factum est »[13], sacerdotali munere ditatum se mundo manifestat, Aeterno Patri seipsum subiciens, quod quidem per totius suae vitae cursum intermittit numquam: « Ingrediens mundum dicit: ...Ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam... »[14] et in cruento Crucis sacrificio mirandum in modum perfecit: « In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel »[15]. Actuosa eius vitae ratio in humanis non alio procul dubio spectat. Infantulus, Hierosolymis in templo sistitur Domino: adolescens denuo illud adit; postea vero idem iterum iterumque ingreditur cum ad docendam plebem, tum ut suam inibi fundat precem. Antequam publicum exordiatur munus, ieiunium per quadraginta dies servat; ac consilio exemploque suo ad diurnas non modo sed ad nocturnas etiam Deo admovendas supplicationes adhortatur omnes. Utpote veritatis magister, « illuminat omnem hominem »[16], ut rite mortales immortalem Deum agnoscant, neque sint « subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animae »[17]. Qua vero Pastor, gregem moderatur suum, eum ad vitae pascua perducit, ac legem ea ratione condit, ut nemo ab eo, ab rectoque demonstrato itinere abstrahatur, sed omnes eo afflante ac movente sanctissime vivant. In novissima caena, sollemni ritu atque apparatu, novum celebrat Pascha, quod quidem, divinitus instituta Euchari-

---

11 Cf. Lib. *Levitici*.
12 Cf. *Hebr.*, X, 1.
13 Ioan., I, 14.
14 *Hebr.*, X, 5-7.
15 *Ibidem*, X, 10.
16 Ioan., I, 9.
17 *Hebr.*, X, 39.

stia, continuandum consulit; postridie vero, inter terram ac caelum erectus, salutiferum suae vitae Sacrificium offert, suoque ex transverberato pectore ea quodammodo effundit sacramenta quae Redemptionis thesauros hominum animis impertiant. Quae omnia dum agit, ad caelestis Patris gloriam unice respicit ad hominemque maiore usque sanctitate adornandum.

Ad supernae autem beatitatis sedem ingressus, quem, per terrenae suae vitae cursum, sacrum instituit ac praestitit cultum, eum vult intermitti numquam. Siquidem non orbatum hominum genus derelinquit, sed quemadmodum valido praesentissimoque patrocinio suo eidem perpetuo adest, advocati munus in caelo gerens apud Patrem [18], ita eidem etiam auxiliatur per Ecclesiam suam, in qua divina praesentia sua volventibus saeculis perennat, quamque columnam veritatis [19] ac gratiae dispensatricem constituit, suoque Crucis sacrificio fundavit, consecravit et aeternaliter stabilivit [20].

Ecclesia igitur commune habet cum Incarnato Verbo propositum, officium, munus: hoc est veritatem docere omnes, homines recte regere ac moderari, gratum acceptumque Deo offerre sacrificium, atque ita admirabilem illam restituere inter summum Creatorem ac res creatas cohaerentiam atque concordiam, quam quidem gentium Apostolus hisce verbis perspicue indicat: « Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum

---

[18] Cf. *I Ioan.*, II, 1.

[19] Cf. I *Tim.*, III, 15.

[20] Cf. Bonif. IX, *Ab origine mundi*, d. d. VII Oct. a. MCCCXCI; Callist. III, *Summus Pontifex*, d. d. I Ian. a. MCCCCLVI; Pius II, *Triumphans Pastor*, d. d. XXII Apr. MCCCCLIX; Innoc. XI, *Triumphans Pastor*, d. d. III Oct. a. MDCLXXVIII.

Dei in Spiritu »[21]. Quamobrem societas a Divino condita Redemptore tum doctrina ac regimine suo, tum Sacrificio ac Sacramentis ab eo constitutis, tum denique ministerio ab eodem accepto, ac profusis supplicationibus et sanguine suo, non alio contendit ac spectat, nisi ut magis in dies amplificetur ac coagmentetur; quod profecto efficitur, cum Christus in mortalium animis quasi instruitur ac dilatatur, et cum vicissim mortalium animi veluti Christo aedificantur atque augentur; ita quidem ut hoc in terrestri exsilio sacrum cotidie magis succrescat templum, in quo divina Maiestas gratum accipit legitimumque cultum. Quapropter in omni actione liturgica una cum Ecclesia praesens adest divinus eius Conditor; praesens adest Christus in augusto altaris Sacrificio, cum in administri sui persona, tum maxime sub Eucharisticis speciebus; praesens adest in Sacramentis virtute sua, quam in eadem transfundit utpote efficiendae sanctitatis instrumenta; praesens adest denique in Deo admotis laudibus ac supplicationibus, secundum illud: « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum »[22]. Sacra igitur Liturgia cultum publicum constituit, quem Redemptor noster, Ecclesiae Caput, caelesti Patri habet; quemque christifidelium societas Conditori suo et per ipsum aeterno Patri tribuit; utque omnia breviter perstringamus, integrum constituit publicum cultum mystici Iesu Christi Corporis, Capitis nempe membrorumque eius.

Liturgica autem actio tum initium sumpsit, cum Ecclesia divinitus condita fuit. Priscae siquidem aetatis christiani « erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus »[23]. Quocumque Pastores possunt christifidelium coetum cogere, ibi erigunt aram, in qua sacris operantur, et quam circum ceteri ordinantur ritus, quibus homines possint sanctitate

---

21 *Ephes.*, II, 19-22.
22 Matth. XVIII, 24.
23 *Act.*, II, 43.

imbui, debitamque Deo tribuere gloriam. Quibus in ritibus primo loco Sacramenta habentur, hoc est septem praecipui salutis fontes; dein vero divinae laudis celebratio, qua christifideles etiam invicem coniuncti hortationi Pauli Apostoli obtemperant: « In omni sapientia docentes et commonentes vosmet ipsos, psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo »[24]; deinde autem Legis, Prophetarum, Evangelii Apostolorumque epistularum lectio; ac postremo homilia, seu sacra concio, qua coetus praeses Divini Magistri praecepta in memoriam revocata utiliter commentatur, res eventusque graviores vitae Christi commemorat, atque adstantes omnes opportunis adhortationibus et exemplis commonefacit.

Pro rerum adiunctis christianorumque necessitatibus cultus instruitur, evolvitur novisque ritibus, caerimoniis ac formulis ditatur; idque ea semper ratione, « ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque... profecerimus nobis ipsis innotescamus, et ad hoc augendum nos ipsos acrius excitemus: dignior enim sequetur effectus, quem ferventior praecedit affectus »[25]. Itaque animus satius aptiusque ad Deum erigitur; ac Iesu Christi sacerdotium per omnem saeculorum decursum nullo non tempore viget, cum sacra Liturgia nihil aliud sit, nisi huius sacerdotalis muneris exercitatio. Quemadmodum divinum eius Caput, ita Ecclesia filiis suis perpetuo adest ,eos adiuvat, eosque ad sanctimoniam adhortatur, ut hoc exornati superno decore ad caelestem Patrem aliquando redeant. Qui hac terrena vita donati sunt, eos, superna vita adauctos, quodammodo regignit; eosdemque, adversus implacabilem hostem luctantes, Spiritus Sancti robore confirmat: christianos ad altaria advocat, iteratisque impertitis suasionibus invitationibusque ad Eucharisticum rite participandum celebrandumque Sacrificium excitat, atque angelico pabulo

---

[24] *Coloss.*, III, 16.

[25] S. Augustin., *Epist.* 130, *ad Probam*, 18.

nutrit, quo fortiores usque exsistant; quos suum quemque admissum sauciavit foedavitque, eos expiat atque solatur; qui superno quodam afflatu ad sacerdotalia capessenda munia vocantur, eos legitimo consecrat ritu. Qui vero ad christianam condendam instituendamque familiam ordinantur, castum eorum connibium caelesti gratia caelestibusque muneribus corroborat. Ac denique, postquam extremas mortalis huius vitae horas Eucharistico Viatico ac Sacri Opobalsami unctione refecit ac recreavit, suorum filiorum exuvias pietate summa ad sepulcrum comitatur, easque religiose componit Crucisque munimine protegit, ut inde aliquando ex triumphata morte resurgant. Praeterea eis quoque, qui ut religiosae adipiscantur vitae perfectionem, divino servitio mancipantur, benedicit beneque sollemni modo precatur. Postremo vero animabus, quae, piaculari igne expiandae, suffragia implorant ac preces, adiutricem porrigit manum, ut easdem tandem ad aeternam feliciter reducat beatitatem.

* * *

Universus autem, quem Ecclesia Deo adhibet, cultus, ut externus, ita internus esse debet. Externus quidem, nam id natura postulat hominis, qui ex animo corporeque constat; itemque quia divina dispositione factum est, ut « dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur »[26]. Praeterea quidquid ex animo profluit, naturali modo per sensus exprimitur; ac divinus cultus non tantum ad singulos pertinet, sed ad humanam etiam consortionem, atque adeo socialis sit oportet, quod profecto esse nequit, nisi in religionis etiam rebus externa habeantur vincula externaeque significationes. Id denique Mystici Corporis unitatem peculiari modo patefacit in suaque luce ponit, sancta eius studia adauget, eius vires corroborat, eiusque actionem impensiorem cotidie efficit: « li-

[26] *Missale Rom.*, Praef. Nativ.

cet enim ipsae caerimoniae nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem, sunt tamen actus externi religionis, quibus, quasi signis, excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur caritas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur religio, et veri fideles a pseudochristianis et heterodoxis discernuntur » [27].

At praecipuum divini cultus elementum internum esse debet: oportet enim semper in Christo vivere, eidemque se totum dedere, ut in eo, cum eo et per eum debita caelesti Patri attribuatur gloria. Sacra autem Liturgia postulat ut intime duo eiusmodi elementa inter se coniungantur; quod ipsamet etiam atque etiam commendare non praetermittit, quotiescumque externum aliquem praecipit religiosi cultus actum. Ita verbi gratia nos adhortatur, cum de ieiunio agitur, « ut quod observantia nostra profitetur exterius, interius operetur effectu » [28]. Quodsi secus aliterque agitur, tum religio procul dubio inanis ritus ac vacua formae ratio evadit. Nostis autem, Venerabiles Fratres, Divinum Magistrum eos sacro templo indignos existimare, ex eodemque foras eiciendos esse, qui vocibus tantummodo bene concinneque compositis ac mimorum more se Deum honorare autument, sibique persuadeant se optime posse sempiternae suae saluti consulere, quamvis suis ex animis inveterata vitia radicitus non evellant [29]. Ecclesia igitur percupit ut christifideles omnes ad Redemptoris pedes idcirco se proiciant, ut ei venerationem suam suamque caritatem profiteantur; percupit ut multitudines, puerorum exemplo, qui Christo Hierosolymam advenienti laetantibus vocibus occurrerunt, hymnos concinant, ac Regem regum summumque beneficiorum auctorem gloriae carmine gratiarumque actione prosequantur; utque preces suis ex la-

---

27 I. Card. Bona, *De divina psalmodia*, cap. 19, § III, 1.
28 *Missale Rom.* Secreta feriae V post Dom. II Quadrag.
29 Cf. Marc., VII, 6 et Is., XXIX, 13.

biis, supplices interdum, interdum hilares ac gratulantes edant, quibus, uti Apostoli prope lacum Tiberiadis, eius experiantur misericordiae ac potentiae auxilium; vel, uti Petrus in monte Tabor, beatae contemplationis luminibus atque afflatibus acti, aeterno Deo se suaque omnia permittant.

Quamobrem a vera ac germana Sacrae Liturgiae notione ac sententia omnino ii aberrant, qui eam utpote divini cultus partem iudicent externam solummodo ac sensibus obiectam, vel quasi decorum quemdam caerimoniarum apparatum; nec minus ii aberrant, qui eam veluti meram legum praeceptorumque summam reputent, quibus Ecclesiastica Hierarchia iubeat sacros instrui ordinarique ritus.

Omnibus igitur exploratum esse debet digne non posse honorari Deum, nisi mentes animique ad vitae perfectionem assequendam erigantur; cultum autem, quem Ecclesia, una cum divino Capite suo coniuncta, Deo praestat, sanctitudinis adipiscendae habere efficacitatem quam maximam.

Quae efficacitas, si de Eucharistico Sacrificio ac de Sacramentis agitur, *ex opere operato* potius ac primo loco oritur. Si vero vel actionem illam consideramus intaminatae Iesu Christi Sponsae, qua eadem precibus sacrisque caerimoniis Eucharisticum adornat Sacrificium et Sacramenta; vel si de « Sacramentalibus » ac de ceteris ritibus agitur, quae ab Ecclesiastica instituta sunt Hierarchia, tum efficacitas habetur potius *ex opere operantis Ecclesiae*, quatenus ea sancta est atque arctissime cum suo Capite coniuncta operatur.

Quam ad rem cupimus, Venerabiles Fratres, ut animum intendatis vestrum ad novas illas cogitandi iudicandique rationes de christiana pietate, quam « obiectivam » vocant; quae quidem rationes, dum Mystici Corporis mysterium, itemque veracem gratiae actionem sanctitatis effectricem divinosque sacramentorum et Eucharistici Sacrificii actus in perspicuo ponere conantur, eo tamen con-

tendere videntur, ut « subiectivam » seu « personalem », quam dicunt, pietatem vel imminuant, vel omnino praetermittant.

In liturgicis celebrationibus ac peculiari modo in Augusto altaris Sacrificio Redemptionis nostrae opus procul dubio continuatur, eiusque fructus nobis impertitur. Christus in Sacramentis et in Sacrificio suo singulis diebus saluti nostrae operatur; per eademque nullo non tempore humanum genus expiat Deoque consecrat. Ea igitur « obiectiva », quae dicitur, virtute pollent, quae reapse animos nostros divinae Iesu Christi vitae facit participes. Ideo non ex nostra, sed ex divina virtute eis effectrix illa vis inest, quae membrorum pietatem cum Capitis pietate coniungit, eamdemque quodammodo reddit totius communitatis actionem. Quibus ex acutis argumentis nonnulli concludunt christiana omnis pietas in Mystici Corporis Christi mysterio consistat oportere, nulla habita « personali » seu « subiectiva », ut aiunt, ratione; atque adeo cetera religionis opera neglegenda reputant, quae cum Sacra Liturgia arcte non devinciantur et extra cultum publicum absolvantur.

Quas tamen circa duplicis pietatis genera conclusiones, quamvis optima sint, quae supra proponuntur, principia, fallaces omnino esse, insidiosas ac perniciosissimas nemo est qui non videat.

Utique retinendum est Sacramenta altarisque Sacrificium intimam habere in semet ipsis virtutem, utpote quae sint ipsius Christi actiones, quae divini Capitis gratiam in Mystici Corporis membra transmittant atque diffundant; verumtamen ut eadem debitam efficaciam habeant, opus est prorsus ut rectae animi nostri dispositiones accedant. Itaque, ad Eucharistiam quod attinet, Paulus Apostolus admonet: « Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat »[30]. Ideo Ecclesia exercitationes

---

[30] *I Cor.*, XI, 28.

omnes, quibus, quadragenarii ieiunii praesertim tempore, animus expiatur noster, significanter presseque vocat « praesidia militiae christianae »[31]. Sunt enim nisus vel actiones membrorum, quae adspirante iuvanteque gratia divino Capiti suo adhaerere volunt, ut « appareat... nobis — S. Augustini sententiam mutuamur — in nostro Capite, ipse fons gratiae »[32]. Animadvertendum tamen est haec membra vivere, atque ratione voluntateque propria instructa et exornata esse; quamobrem necesse omnino est ut, labiis appositis fonti, vitale alimentum sumant in seseque transforment eaque omnia averruncent, quae huius alimenti efficaciam praepedire possint. Asseverandum igitur est Redemptionis opus, quod in se res est a voluntate nostra non dependens, internum animi nostri nisum requirere, ut sempiternam nos salutem assequi possimus.

Si privata atque interna singulorum pietas Augustum altaris Sacrificium ac Sacramenta neglexerit, seseque a salutifera vi subtraxerit, quae ex Capite in membra profluit, ea procul dubio reprobanda ac sterilis res erit. Sed cum omnia pietatis consilia et opera, quae cum Sacra Liturgia arcte non coniunguntur, idcirco dumtaxat ad humanos actus respiciunt, ut eos nempe ad caelestem Patrem erigant, utque homines ad paenitentiam et ad sanctum Dei timorem salutariter excitent, atque ex mundi vitiorumque illecebris aversos ad sanctitatis verticem per arduum iter feliciter reducant, tum profecto eadem non modo summis laudibus digna, sed prorsus necessaria sunt, quandoquidem spiritualis vitae pericula detegunt, ad virtutes adipiscendas nos permovent, et actuosum illud adaugent studium, quo Iesu Christi servitio nos nostraque omnia addicamus oportet. Germana verique nominis pietas, quae « devotio » ab Angelico nominatur, quaeque principalis est religionis virtutis actus — quo quidem actu homines recte

---

31 *Missale Rom.*, Feria IV Cinerum: orat. post imposit. cinerum.

32 *De praedestinatione sanctorum*, 31.

ordinantur, ad Deum apte diriguntur, atque ultro libenterque ad ea omnia se dedunt quae ad divinum cultum pertinent —[33] supernarum rerum meditatione ac spiritualibus exercitationibus indiget, ut alatur, excitetur, vigeat et ad perfectioris vitae institutum nos moveat. Christiana enim religio postulat, si debito colatur modo, ut voluntas potissimum Deo consecretur, in ceterasque sua vi influat animi facultates. Atqui omnis voluntatis actus intellegentiae praeponit exercitium; et antequam desiderium ac propositum edatur se aeterno Numini per sacrificium consecrandi, cognitio necessaria omnino est earum rerum ac rationum, quae religionem praecipiunt, ut sunt, verbi gratia, finis hominum ultimus ac divinae Maiestatis excellentia, ut officium est quo Creatori omnes obligamur, ut sunt denique cum inexhausti caritatis thesauri, quibus nos Deus ditare percupit, tum supernae gratiae necessitas ad constitutam nobis assequendam metam, ac peculiare illud iter ex divina nobis providentia destinatum, quandoquidem nos singuli universi, quasi corporis membra, cum Iesu Christo Capite copulati fuimus. Quoniam vero non semper caritatis rationes animum nostrum, pravis interdum motibus perturbatum, suadendo permovent, valde etiam opportunum est ut divinae iustitiae consideratio ac contemplatio nos salutariter percellat nosque ad christianam demissionem, paenitentiam morumque emendationem perducat.

Haec autem omnia non ut vacua recordatio vel inanis commentatio habeantur, sed eo actuose contendant ut sensus nostri eorumque facultates menti ac rationi subiciantur, quam catholica collustraverit veritas; ut animus expietur ac purificetur noster, qui arctius cotidie conectatur Christo, qui ei magis magisque conformetur, ab eodemque divinum afflatum divinamque, qua indiget, vim hauriat; utque efficaciora usque incitamenta evadant, quibus homines ad frugem bonam, ad officio cuiusque suo fi-

---

[33] Cf. S. Thom., *Summa Theol.* II-II, q. LXXXII, a. 1.

deliter obtemperandum et ad religionem rite excolendam exardescant virtutemque impensissime exercitandam: « vos Christi, Christus autem Dei »[34]. Omnia igitur recte ordinata, composita, atque, ut ita dicamus, « theocentrica » sint, si reapse volumus ut omnia ad Dei gloriam dirigantur per vitam virtutemque, quae in nos ex divino Capite permanat: « Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est carnem suam, et Sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem... et consideremus invicem in provocationem caritatis et bonorum operum[35].

Ex quo congruens oritur ac concors membrorum aequilibritas in mystico Iesu Christi Corpore. Dum catholicam fidem nos docet, nosque ad christianis obtemperandum praeceptis adhortatur, Ecclesia sternit ac munit viam ad actionem suam maxime sacerdotalem, sanctitatisque effectricem; itemque ad penitiorem divini Redemptoris vitae contemplationem nos praeparat nosque ad altiorem perducit mysteriorum fidei cognitionem, ut supernum inde alimentum hauriamus, quo roborati et aucti tutum per Christum ad vitae perfectionem processum facere possimus. Non solum per ministros suos, sed singulorum quoque christifidelium ope, qui eiusmodi ratione Iesu Christi spiritum imbiberint, conititur Ecclesia hoc eodem spiritu privatam, coniugalem, socialem ac vel oeconomicam et politicam hominum vitam actionemque permeare, ut facilius ii omnes queant, qui filii Dei vocantur, propositum sibi finem consequi.

Itaque privata id genus christianorum opera piusque ille nisus, quo iidem ad suum purificandum animum ducuntur, eorum profecto vires excitant, quibus aptius in-

---

[34] Cf. I *Cor.*, III, 23.
[35] *Hebr.*, X, 19-24.

struuntur ad Augustum altaris Sacrificium participandum, ad uberiore cum fructu Sacramenta suscipienda, et ad sacros ritus ita celebrandos, ut alacrius inde ad precandi seseque christiano more abnegandi studium animati ac conformati evadant, itemque ad actuose respondendum adspirantis divinae gratiae invitamento et ad Redemptoris nostri magis cotidie magisque virtutem imitandam; idque non modo propriae cuiusque utilitatis causa, sed totius etiam corporis Ecclesiae, in quo quidem quidquid bonum agitur, ex eius Capitis virtute proficiscitur atque in membrorum omnium profectum redundat.

In spirituali igitur vita nulla intercedere potest discrepantia vel repugnantia inter divinam illam actionem, quae ad perpetuandam Redemptionem nostram gratiam in animos infundit, ac sociam laboriosamque hominis operam, quae donum Dei vacuum non reddat oportet[36]; itemque inter externi Sacramentorum ritus efficacitatem, quae *ex opere operato* oritur, atque eorum bene merentem actum, qui eadem impertiunt vel suscipiunt, quem quidem actum *opus operantis* vocamus; ac pari modo publicas supplicationes inter privatasque preces; inter rectam agendi rationem supernarumque contemplationem rerum; inter vitam asceticam ac Liturgiae pietatem; ac denique inter ecclesiasticae Hierarchiae iurisdictionem legitimumque magisterium ac potestatem illam, quae proprie sacerdotalis dicitur, quaeque in sacro exercetur ministerio.

Gravi de causa Ecclesia instat, ut piae meditationi, diligenti sui ipsius recognitioni ac censurae, ceterisque spiritualibus exercitationibus statis temporibus ii vacent[37], qui altari ex demandato munere inserviunt, quive religiosae vitae institutum inierunt, quandoquidem iidem peculiari modo liturgicis Sacrificii factitandi divinaeque persolvendae laudis perfunctionibus destinantur. Procul dubio

---

[36] Cf. *II Cor.*, VI, 1.
[37] Cf. *C.I.C.*, can. 125, 126, 565, 571, 595, 1367.

liturgica precatio, cum publica sit inclitae Iesu Christi Sponsae supplicatio, privatis precibus potiore excellentia praestat. Quae tamen potior excellentia neutiquam significat duo haec precandi genera inter se discrepare vel repugnare. Uno enim eodemque cum sint studio animata, una simul etiam confluunt ac componuntur secundum illud « omnia et in omnibus Christus »[38], ad idemque contendunt propositum, donec in nobis formetur Christus[39].

Ut autem satius aptiusque quid sit sacra Liturgia intellegatur, aliam oportet, nec minoris momenti, notam ac rationem eius considerare.

Ecclesia nempe societas est, atque adeo propriam postulat auctoritatem ac Hierarchiam. Si omnia Mystici Corporis membra eadem participant bona et ad eadem diriguntur proposita, non omnia tamen eadem fruuntur facultate, neque omnia possunt eosdem elicere actus. Divinus siquidem Redemptor Regnum suum sacro constare ordine voluit, ac stabili veluti fundamento inniti; qui quidem ordo caelestis Hierarchiae imaginem quodammodo refert.

Apostolis solummodo iisque deinceps, qui rite ab eis eorumque successoribus manuum impositionem susceperunt, sacerdotalis tribuitur potestas, qua ut coram sibi credita plebe Iesu Christi personam sustinent, ita coram Deo ipsius populi personam gerunt. Eiusmodi sacerdotium non hereditate nec generis cognatione transmittitur; neque ex christianorum communitate oritur, vel a populo delegatur. Antequam populi nomine apud Deum agat, sacrorum administer divini Redemptoris legatus exsistit; atque idcirco quod Iesus Christus illius Corporis Caput est, cuius christiani sunt membra, ipse Dei vices apud demandatam sibi gentem gerit. Quae igitur ei committitur potestas, nihil natura sua humanum sapit, cum omnino superna sit, atque a Deo proficiscatur. « Sicut misit me Pa-

---

38 *Coloss.*, III, 11.
39 Cf. *Gal* IV, 19.

ter, et ego mitto vos... [40] qui vos audit, me audit... [41] euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit » [42].

Quamobrem adspectabile et externum Iesu Christi sacerdotium non universali, vel generali ac communi ratione in Ecclesia traditur, sed delectis hominibus impertitur per spiritualem quamdam illius Ordinis generationem, qui unum ex septem Sacramentis est, quique non modo gratiam confert peculiari huic vitae condicioni ac muneri propriam, sed indelebilem etiam « characterem », qui sacrorum administros Iesu Christo sacerdoti conformatos eosdemque aptos exhibet ad legitimos illos religionis actus eliciendos, quibus et homines sanctitudine imbuuntur et debita Deo tribuitur gloria, secundum normas ac praescripta divinitus data.

Etenim, quemadmodum Baptismatis lavacrum christianos omnes distinguit atque a ceteris seiungit, quos piacularis unda non laverit neque membra sint Christi, ita pariter Ordinis Sacramentum a ceteris omnibus christifidelibus, hoc non donatis charismate, sacerdotes discernit, quandoquidem iidem dumtaxat, superno quodam instinctu vocati, augustum ingressi sunt ministerium, quo sacris destinantur aris, ac veluti divina efficiuntur instrumenta, quibus caelestis supernaque vita cum Mystico Iesu Christi Corpore communicatur. Ac praeterea, ut supra diximus, iidem solummodo indelebili nota illa insigniti sunt, qua Christo sacerdoti conformantur; eorumque tantummodo manus consecratae sunt, « ut quaecumque benedixerint, benedicantur, et quaecumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur in nomine Domini nostri Iesu Christi » [43]. Ad eos igitur ii omnes convolent, quicumque in Christo

---

[40] Ioan. XX, 21.
[41] Luc., X, 16.
[42] Marc., XVI, 15-16.
[43] *Pontif Rom.*, De ordinatione presbyteri, in manuum unctione.

vivere cupiunt, nam ab eis solacium, spiritualisque vitae alimentum accipient; ab eis salutare suscipient medicamentum, quo sanati ac confirmati ex vitiorum exitio ac ruina feliciter emergere poterunt; ab eis denique domesticus eorum convictus benedictione consecrabitur, atque extremus mortalis huius vitae halitus ad sempiternam ingrediendam beatitatem dirigetur.

Quoniam igitur sacra Liturgia imprimis a sacerdotibus Ecclesiae nomine absolvitur, idcirco eius ordinatio, moderatio ac forma ab Ecclesiae auctoritate non pendere non potest. Quod quidem sicut ex ipsa christiani cultus natura consequitur, ita etiam historiae documentis confirmatur.

Aliud praeterea est, quod inconcussum hoc Ecclesiasticae Hierarchiae ius comprobat, quod nimirum sacra Liturgia cum iis doctrinae principiis arctissime coniungitur, quae ab Ecclesia ut certissimae veritatis capita proponuntur, atque adeo catholicae fidei praeceptis conformanda est, quae supremi Magisterii auctoritas edidit ad divinitus patefactae religionis integritatem tutandam.

Quam ad rem aliquid in recta luce ponendum esse ducimus, quod vobis, Venerabiles Fratres, non ignotum esse putamus; eorum scilicet errorem atque fallaciam, qui sibi sumpsere sacram Liturgiam quasi quoddam experimentum exsistere veritatum ex fide retinendarum; quatenus nempe, si certa quaedam id genus doctrina per sacros Liturgiae ritus pietatis ac sanctimoniae fructus dederit, eam ab Ecclesia comprobandam esse, si vero secus, reprobandam. Unde effatum illud: « Lex orandi, lex credendi ».

Verumtamen non ita docet, non ita praecipit Ecclesia. Cultus, qui ab ea Deo Optimo Maximo datur, ut presse significanterque Augustinus ait, catholicae fidei continuata professio est, ac spei caritatisque exercitium: « fide, spe, caritate — ita ipse affirmat — colendum Deum »[44]. In

---

[44] *Enchiridion*, cap. 3.

sacra Liturgia catholicam fidem expresse atque aperte profitemur non modo per mysteriorum celebrationem ac per confectionem Sacrificii Sacramentorumque administrationem, sed fidei etiam « Symbolum » recitando vel canendo, quod quidem christianorum insigne ac veluti tessera est, itemque tum aliis documentis, tum etiam Sacris perlegendis Litteris, quae Spiritu Sancto afflante conscriptae fuere. Liturgia igitur omnis catholicam fidem continet, quatenus Ecclesiae fidem publice testatur.

Hac de causa, quotiescumque de aliqua definienda veritate divinitus data actum est, Summi Pontifices ac Concilia, cum ex « Fontibus Theologicis », quos vocant, haurirent, ex sacra etiam hac disciplina haud raro argumenta duxere; quemadmodum verbi gratia Decessor Noster imm. mem. Pius IX fecit, cum immaculatam Mariae Virginis conceptionem decrevit. Atque eodem fere modo Ecclesia ac SS. Patres, cum de aliqua veritate dubia controversaque disceptabatur a venerandis etiam ritibus ex antiquitate traditis lumen petere non praeteriere. Itaque notum et venerandum illud habetur effatum: « Legem credendi lex statuat supplicandi »[45]. Sacra igitur Liturgia catholicam fidem absolute suaque vi non designat neque constituit; sed potius, cum sit etiam veritatum caelestium professio, quae Supremo Ecclesiae Magisterio subicitur, argumenta ac testimonia suppeditare potest, non parvi quidem momenti, ad peculiare decernendum christiane doctrinae caput. Quodsi volumus eas, quae inter fidem sacramque Liturgiam intercedunt, rationes absoluto generalique modo internoscere ac determinare, iure meritoque dici potest: « Lex credendi legem statuat supplicandi ». Idemque asseverandum est, cum de ceteris theologicis virtutibus agitur: « In ... fide, spe et caritate continuato desiderio semper oramus »[46].

---

[45] *De gratia Dei* « Indiculus ».
[46] S. Augustin., *Epist.* 130, *ad Probam*, 18.

* * *

Nullo non tempore Ecclesiastica Hierarchia hoc in rebus liturgicis iure usa est, divinum instruendo ordinandoque cultum, eumque novo semper, ad Dei gloriam christianorumque profectum, splendore ac decore ditando. Ac praeterea eadem non dubitavit — Eucharistici altaris Sacrificii Sacramentorumque substantia sarta tectaque servata — illud immutare, quod omnino rei congruens non reputaret; idque adicere, quod aptius videretur ad Iesu Christi augustaeque Trinitatis honorem augendum, atque ad erudiendam et salutariter excitandam christianam plebem[47].

Sacra enim Liturgia ut humanis, ita divinis constat elementis; haec autem, ut patet, cum a Divino Redemptore constituta fuerint, nullo modo ab hominibus mutari possunt; illa vero prout temporum, rerum animorumque necessitates postulant, varias commutationes habere possunt, quas Ecclesiastica Hierarchia, S. Spiritus auxilio innixa, comprobaverit. Inde miranda illa oritur orientalium atque occidentalium rituum varietas; inde progrediens incrementum proficiscitur, quo peculiares excolendae religionis consuetudines ac peculiaria pietatis opera pedetemptim evolvuntur, et quorum tenue dumtaxat indicium superioribus aetatibus habebatur; atque inde etiam interdum evenit, ut pia hac in re instituta, temporis decursu oblitterata, iterum in usum revocentur, iterumque renoventur. Haec omnia intemeratae Iesu Christi Sponsae vitam per tot saecula vigentem testantur; sacrum exprimunt eloquium, quod labentibus temporibus eam inter divinumque eius Sponsum intercessit, ut suam ac sibi creditarum gentium fidem suumque amorem inexhaustum profiteretur; itemque sapientem illam demonstrant institutionem ac disciplinam, qua in credentibus « sensum Christi » excitat ac cotidie magis adauget.

---

[47] Cf. Const. *Divini cultus*, d. d. XX Dec. a. MCMXXVIII.

Non paucae profecto fuere causae, quibus sacrae Liturgiae processus explicatur atque evolvitur per diuturnas gloriosasque Ecclesiae aetates.

Ita, exempli gratia, cum catholica doctrina de Incarnato Dei Verbo, de Eucharistiae Sacramento et Sacrificio, ac de Deipara Virgine Maria certius ac luculentius decerperetur, novae inductae sunt rituum formae, quibus lucem illam quae splendidius ex Ecclesiastici Magisterii declarationibus affulserat, liturgicae actiones satius aptiusque referebant ac quodammodo reverberabant, ut facilius christiani populi mentes animosque attingere posset.

Subsequens Ecclesiasticae disciplinae progressio in Sacramentis impertiendis, ut verbi gratia in Paenitentiae Sacramenti administratione, ac catechumenorum initum institutum eiusque deinceps intermissio, itemque divinae Eucharistiae Communio per unam tantum speciem in Latina Ecclesia habita, haec procul dubio non parum in causa fuere, cur antiquissimi ritus decursu temporum immutarentur, ac novi paulatim inducerentur ritus, qui cum invectis has in res ordinationibus magis congruere viderentur.

Ad quam quidem progressionem conversionemque ea non parum pietatis incepta et opera contulere, quae cum sacra Liturgia non arcte coniuguntur, quaeque insequentibus subinde aetatibus ex mirabili Dei consilio nata, tantopere apud populum increvere: ut verbi gratia auctior ac studiosior cotidie erga divinam Eucharistiam cultus, itemque erga acerbissimos Redemptoris Nostri cruciatus, erga sacratissimum Cor Iesu et in Deiparam Virginem castissimumque eius Sponsum.

Atque in id etiam contulere, ad rerum adiuncta quod attinet, cum publicae peregrinationes ad martyrum sepulcra pietatis causa susceptae, tum peculiaria eadem de causa instituta ieiunia, tum denique stativae supplicationes, quae paenitentiae gratia hac in alma Urbe celebrabantur, quibusque non raro Summus etiam Pontifex intererat.

Ac facile intellectu est optimarum artium progrediens incrementum, architecturae, picturae ac musices potissimum, ad externa sacrae Liturgiae elementa decernenda varieque conformanda haud parum valuisse.

Hoc eodem in rebus liturgicis iure usa est Ecclesia ad divini cultus sanctitatem tutandam adversus privatorum hominum peculiariumque ecclesiarum abusus temerarie imprudenterque invectos. Atque ita factum est ut, cum saeculo XVI id genus usus ac consuetudines nimis magis increvissent, cumque hac in re privatorum incepta fidei pietatisque integritatem in discrimen inducerent, magno cum haereticorum profectu magnaque cum eorum fallaciae errorisque propagatione, tum Decessor Noster imm. mem. Sixtus V, ut legitimos Ecclesiae ritus defenderet, ab iisdemque quidquid impurum inductum fuisset prohiberet, anno MDLXXXVIII Sacrum constituit tuendis ritibus Consilium [48]; ad quod quidem institutum nostra etiam aetate ex credito munere pertinet ea omnia vigilanti cura ordinare ac decernere, quae ad sacram Liturgiam spectent [49].

* *

Quamobrem uni Summo Pontifici ius est quemlibet de divino cultu agendo morem recognoscere ac statuere, novos inducere ac probare ritus, eosque etiam immutare, quos quidem immutandos iudicaverit [50]; Episcopis autem ius et officium est vigilare diligenter ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur [51]. Haud igitur fas est privatorum arbitrio, etsi iidem ex Cleri ordine sint, sacras atque venerandas res illas permittere, quae ad religiosam christianae societatis vitam pertineant, itemque ad Iesu Christi sacerdotii exercitium divinumque cultum, ad debitum sanctissimae Trinitati, Incarnato Ver-

48 Const. *Immensa*, d. d. XXII Ian. MDLXXXVIII.
49 *C. I. C.*, can. 253.
50 Cf. *C. I. C.*, can. 1257.
51 Cf. *C. I. C.*, can. 1261.

bo, eius Genitrici augustae ceterisque caelitibus honorem reddendum, et ad hominum salutem procurandam attineant; eademque ratione privato nemini ulla facultas est externas hoc in genere actiones moderari, quae cum Ecclesiastica disciplina et cum Mystici Corporis ordine, unitate ac concordia, immo haud raro cum catholicae etiam fidei integritate coniunguntur quam maxime.

Ecclesia procul dubio vivens membrorum compages est, atque adeo in iis etiam rebus, quae ad sacram respiciunt Liturgiam, succrescit, explicatur atque evolvitur, et ad necessitates rerumque adiuncta, quae temporum decursu habeantur, sese accommodat atque conformat, sarta tamen tectaque servata suae doctrinae integritate. Verumtamen temerarius eorum ausus omnino reprobandus est, qui novas deliberato consilio liturgicas consuetudines invehant, vel obsoletos iam ritus reviviscere iubeant, qui cum vigentibus legibus ac rubricis non concordent. Id autem contingere, Venerabiles Fratres, non sine magno animi dolore novimus, non modo in parvi sed in gravissimi etiam momenti rebus; non desunt siquidem, qui in augusto peragendo Eucharistiae Sacrificio vulgari lingua utantur, qui nonnullos festos dies, — qui quidem ex rationibus mature perpensis iam decreti ac statuti fuerint — ad alia tempora transferant, et qui denique ex legitimis publicarum precum libris sacra Veteris Testamenti scripta expungant, quippe quae reputent haud satis aetati huic nostrae congruentia atque opportuna.

Latinae linguae usus, ut apud magnam Ecclesiae partem viget, perspicuum est venustumque unitatis signum, ac remedium efficax adversus quaslibet germanae doctrinae corruptelas. In non paucis tamen ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum exsistere potest; nihilominus unius Apostolicae Sedis est id concedere; atque adeo, ea inconsulta eaque non approbante, nihil prorsus hoc in genere fieri fas est, quandoquidem, ut di-

ximus, sacrae Liturgiae ordinatio ab eius consilio ac nutu omnino pendet.

Haec eadem iudicandi ratio tenenda est, cum de conatibus agitur, quibus nonnulli enituntur quoslibet antiquos ritus ac caerimonias in usum revocare. Utique vetustae aetatis Liturgia veneratione procul dubio digna est; verumtamen vetus usus, non idcirco dumtaxat quod antiquitatem sapit ac redolet, aptior ac melior existimandus est vel in semet ipso, vel ad consequentia tempora novasque rerum condiciones quod attinet. Recentiores etiam liturgici ritus reverentia observantiaque digni sunt, quoniam Spiritus Sancti afflatu, qui quovis tempore Ecclesiae adest ad consummationem usque saeculorum [52], orti sunt; suntque iidem pariter opes, quibus inclita Iesu Christi Sponsa utitur ad hominum sanctitatem excitandam procurandamque.

Ad sacrae Liturgiae fontes mente animoque redire sapiens profecto ac laudabilissima res est, cum disciplinae huius studium, ad eius origines remigrans, haud parum conferat ad festorum dierum significationem et ad formularum, quae usurpantur, sacrarumque caerimoniarum sententiam altius diligentiusque pervestigandam: non sapiens tamen, non laudabile est omnia ad antiquitatem quovis modo reducere. Itaque, ut exemplis utamur, is ex recto aberret itinere, qui priscam altari velit mensae formam restituere; qui liturgicas vestes velit nigro semper carere colore; qui sacras imagines ac statuas e templis prohibeat; qui divini Redemptoris in Crucem acti effigies ita conformari iubeat, ut corpus eius acerrimos non referat, quos passus est, cruciatus; qui denique polyphonicos, seu multisonos concentus reprobet ac repudiet, etiamsi normis obtemperent ab Apostolica Sede datis.

Quemadmodum enim e catholicis cordatus nemo, eo consilio ductus ut ad veteres revertat formulas, a priori-

---

[52] Cf. Matth., XXVIII, 20.

bus Conciliis adhibitas, illas respuere potest de christiana doctrina sententias, quas Ecclesia, adspirante moderanteque divino Spiritu, recentiore aetate, ubere cum fructu, composuit retinendasque decrevit; itemque quemadmodum e catholicis cordatus nemo vigentes leges repudiare potest, ut ad praescripta regrediatur, quae ex antiquissimis hauriantur canonici iuris fontibus; ita pari modo, cum de sacra Liturgia agitur, qui ad antiquos redire ritus consuetudinesque velit, novas repudiando normas, quae ex providentis Dei consilio ob mutatas rerum condiciones fuere inductae, non is procul dubio, ut facile cernere est, sapienti rectoque movetur studio.

Haec enim cogitandi agendique ratio nimiam illam reviviscere iubet atque insanam antiquitatum cupidinem, quam illegitimum excitavit Pistoriense concilium, itemque multiplices illos restituere enitur errores, qui in causa fuere, cur conciliabulum idem cogeretur, quique inde non sine magno animorum detrimento consecuti sunt, quosque Ecclesia, cum evigilans semper exsistat « fidei depositi » custos sibi a divino Conditore concrediti, iure meritoque reprobavit[53]. Etenim prava id genus proposita atque incepta eo contendunt, ut actionem illam extenuent ac debilitent, sanctitatis effectricem, qua sacra Liturgia adoptionis filios ad caelestem Patrem salutariter dirigit.

Omnia igitur ita fiant, ut debita servetur cum Ecclesiastica Hierarchia coniunctio. Nemo sibi arbitrium sumat normas sibimet ipsi decernendi easdemque ex voluntate sua ceteris imperandi. Summus dumtaxat Pontifex, ut Beati Petri successor est, cui divinus Redemptor curam concredidit universum pascendi gregem[54], unaque simul Episcopi, quos, Apostolicae obtemperantes Sedi, « Spiritus Sanctus posuit ... regere Ecclesiam Dei »[55], iure officioque

---

[53] Cf. Pius VI, Const. *Auctorem fidei*, d. d. XXVIII Aug. MDCCXCIV, nn. XXXI-XXXIV, XXXIX, LXII, LXVI, LXIX-LXXIV.
[54] Cf. Ioan., XXI, 15-17.
[55] *Act.*, XX, 28.

pollent christianum gubernandi populum. Quamobrem, Venerabiles Fratres, quotiescumque — salutari etiam, si oporteat, adhibita severitate — auctoritatem tuemini vestram, non modo officium vestrum adimplemini, sed ipsam Ecclesiae Conditoris in tuto ponitis voluntatem.

II

Christianae religionis caput ac veluti centrum Sanctissimae Eucharistiae Mysterium est, quam olim Summus Sacerdos Christus instituit, quamque per suos administros perpetuo in Ecclesia renovari iubet. Cum de sacrae Liturgiae re maxima agatur, opportunum ducimus in hoc aliquantisper immorari, vestrosque, Venerabiles Fratres, in gravissimam hanc causam convertere animos.

Christus Dominus, « sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech »[56], qui, « cum dilexisset suos qui erant in mundo »[57], « in caena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae Sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur ... Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac, sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent praecepit »[58].

Augustum igitur altaris Sacrificium non mera est ac simplex Iesu Christi cruciatuum ac mortis commemoratio, sed vera ac propria sacrificatio, qua quidem per incruentam immolationem Summus Sacerdos id agit, quod iam

---

56 *Psalm.* CIX, 4.
57 Ioan., XIII, 1.
58 Conc. Trid., Sess. XXII, c. 1.

in Cruce fecit, semet ipsum aeterno Patri hostiam offerens acceptissimam. « Una ... eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa »[59].

Idem itaque sacerdos, Christus Iesus, cuius quidem sacram personam eius administer gerit. Hic siquidem, ob consecrationem quam accepit sacerdotalem, Summo Sacerdoti assimulatur, ac potestate fruitur operandi virtute ac persona ipsius Christi[60]. Quamobrem actione sua sacerdotali Christo quodammodo « linguam suam commodat, manum porrigit »[61].

Eadem pari modo victima est, divinus nempe Redemptor, secundum humanam naturam suam et in corporis sanguinisque sui veritate. Dissimilis tamen ratio est, qua Christus offertur. In Cruce enim totum semet ipsum suosque Deo obtulit dolores; victimae vero immolatio per cruentam mortem, libera voluntate obitam, effecta est. In ara autem ob gloriosum humanae naturae suae statum, « mors illi ultra non dominabitur »[62], ideoque sanguinis effusio haud possibilis est; verumtamen ex divinae sapientiae consilio Redemptoris nostri sacrificatio per externa signa, quae sunt mortis indices, mirando quodam modo ostenditur. Siquidem per panis « transsubstantiationem » in corpus vinique in sanguinem Christi, ut eius corpus reapse praesens habetur, ita eius cruor: eucharisticae autem species, sub quibus adest cruentam corporis et sanguinis separationem figurant. Itaque memorialis demonstratio eius mortis, quae reapse in Calvariae loco accidit, in singulis altaris sacrificiis iteratur, quandoquidem per distinctos indices Christus Iesus in statu victimae significatur atque ostenditur.

Iidem praeterea praestituti fines sunt; quorum primus

---

59 Ibidem, c. 2.
60 Cf. S. Thom., *Summa Theol.*, III, q. XXII, a. 4.
61 Ioann. Chrys., *In Ioann. Hom.*, 86, 4.
62 *Rom.*, VI, 9.

gloria est caelesti Patri tribuenda. Ab incunabulis usque ad mortem Iesus Christus procurandae divinae gloriae studio incensus est; atque ex Cruce eius sanguinis immolatio caelum ascendit in odorem suavitatis. Utque eiusmodi praeconium numquam intermittatur, in Eucharistico Sacrificio membra cum divino suo Capite copulantur, et cum ipso unaque cum Angelis atque Archangelis immortales Deo laudes concinunt [63], Patri Omnipotenti deferentes omnem honorem ac gloriam [64].

Alter autem, qui praestituitur, finis eo spectat, ut gratiae adhibeantur Deo debitae. Divinus tantummodo Redemptor, utpote dilectissimus Aeterni Patris Filius, cui quidem immensus eius patebat amor, dignum ei potuit gratiae deferre carmen. Hoc iam spectavit, hoc voluit, in novissima caena « gratias agens » [65]. Idque efficere ex Cruce pendens non intermisit; non intermittit in augusto arae Sacrificio, quod gratiarum actionem, seu eucharisticam actionem, significat; quandoquidem hoc « vere dignum et iustum est, aequum et salutare » [66].

Tertio autem loco, expiationis, placationis reconciliationisque proponitur finis. Nemo alius procul dubio quam Christus Omnipotenti Deo de humani generis culpis omnino satisfacere poterat; ipse igitur in Cruce immolari voluit « propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi » [67]. Atque in altaribus itidem cotidie sese offert pro redemptione nostra, ut ab aeterna damnatione erepti in electorum gregem adsciscamur. Idque non pro nobis tantum, qui mortali hac vita fruimur, sed etiam « pro omnibus in Christo quiescentibus, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in som-

---

63 Cf. *Missale Rom.*, Praefatio.
64 Cf. *Ibidem*, Canon.
65 Marc. XIV, 23.
66 *Missale Rom.*, Praefatio.
67 *I Ioan.*, II, 2.

no pacis »[68]; nam sive vivimus, sive morimur, « ab uno tamen eodemque Christo non recedimus »[69].

Quarto denique loco impetrationis habetur finis. Homo, utpote filius prodigus, bona omnia a caelesti Patre accepta, male consumpsit ac dissipavit, ideoque in egestatem summam summumque in squalorem redactus est. Attamen ex Cruce Christus « preces supplicationesque... cum clamore valido et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia »[70]. Itemque sacris in aris efficaci eadem ratione noster apud Deum sequester est, ut omni benedictione et gratia repleamur.

Facile igitur intellectu est cur sacrosancta Tridentina Synodus asseveret salutarem Crucis virtutem per Eucharisticum Sacrificium nobis impertiri ad cotidiana nostra delenda peccata[71].

Apostolus autem gentium copiosam plenitudinem perfectionemque declarans Sacrificii Crucis, Christum edicit una oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos[72]. Huius enim Sacrificii promerita, ut infinita prorsus sunt atque immensa, terminos nesciunt; ad universitatem quippe hominum spectant cuiusvis temporis, cuiusvis loci, quatenus in eo sacerdos ac victima Deus homo est; quatenus eius immolatio, eodem modo ac eius Aeterni Patris voluntati obtemperatio, perfecta omnino fuit; et quatenus ipse mortem oppetiit utpote humani generis Caput: « Vide commercium emptionis nostrae: Christus pendet in ligno, vide quanto emit;... sanguinem fudit, sanguine suo emit, sanguine Agni immaculati emit, sanguine unici Filii Dei emit... Emptor Christus est; pretium sanguis; possessio orbis terrarum »[73].

---

[68] *Missale Rom.*, Canon.
[69] S. Augustin., *De Trinit.*, lib. XIII, c. 19.
[70] *Hebr.*, V, 7.
[71] Cf. Sess. XXII, c. 1.
[72] Cf. *Hebr.*, X, 14.
[73] S. Augustin., *Enarr. in Ps. CXLVII*, n. 16.

Hae tamen emptio non statim plenum assequitur effectum suum: oportet siquidem Christus, postquam amplissimo hoc sui ipsius pretio mundum redemerit, in veram reapse animorum hominum possessionem veniat. Quamobrem ut eorum redemptio ac salus, ad singulos quod attinet et ad subsequentes posteritates omnes in finem usque saeculi, opere efficiatur Deoque habeatur accepta, opus est prorsus ut singillatim homines vitali modo Crucis Sacrificium attingant, ideoque quae ex eo eduntur merita iisdem impertiantur. Dici quodammodo potest in Calvaria Christum piacularem salutaremque instruxisse piscinam, quam suo replevit effuso cruore: at si homines eius non se mergunt in undas, atque inibi suas iniquitatum maculas non detergunt, purificati ac salvi fieri profecto nequeunt.

Ut igitur in sanguine Agni singuli peccatores dealbentur, socius Christifidelium labor requiritur. Licet enim Christus, universe loquendo, totum humanum genus morte sua cruenta Patri reconciliaverit, voluit tamen ut omnes ad Crucem suam, per sacramenta potissimum ac per Eucharistiae Sacrificium, accederent atque adducerentur, ut ab se partos ex Cruce fructus assequerentur salutares. Qua quidem actuosa singulorum participatione, quemadmodum membra divino suo Capiti cotidie magis assimulantur, sic etiam salus ex Capite profluens impertitur membris: ita quidem ut nos possimus divi Pauli iterare verba: « Christo confixus sum Cruci: vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus »[74]. Sicut enim, iam alia opportunitate data, enucleate satis ex suscepto consilio ediximus, Christus Iesus « dum in Cruce emoriens, immensum Redemptionis thesaurum Ecclesiae suae, nihil ea conferente, dilargitus est; ubi de eiusmodi thesauro distribuendo agitur, id efficiendae sanctitatis opus non modo cum intaminata sua Sponsa communicat, sed ex eius etiam opera vult quodammodo oriri »[75].

---

[74] *Gal.*, II, 19,20.
[75] Litt. Encycl. *Mystici Corporis*, d. d. XXIX Iun. MCMXLIII.

Augustum autem altaris Sacrificium eximium est veluti instrumentum, quo promerita e divini Redemptoris Cruce orta credentibus distribuuntur: « quoties huius hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae Redemptionis exercetur »[76]. Illud tamen, nedum cruenti Sacrificii dignitatem minuat, eius potius magnitudinem necessitatemque, ut Tridentina Synodus asseverat[77], declarat magisque perspicuas reddit. Dum cotidie immolatur, nos admonet aliam non esse salutem, nisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi[78]; eiusmodi autem Sacrificii continuationem « ab ortu... solis usque ad occasum »[79] Deum ipsum perfici velle, ne gloriae gratiarumque actionis intermittatur hymnus, ab hominibus idcirco Creatori debitus, quod perpetuo eius indigeant auxilio, divinique indigeant Redemptoris sanguine ad ea delenda peccata, quae eius provocant iustitiam.

* * *

Expedit igitur, Venerabiles Fratres, christifideles omnes animadvertant summo sibi officio esse summaeque dignitati Eucharisticum participare Sacrificium; idque non quiescenti neglegentique animo et ad alia excurrenti atque vaganti, sed tam impense tamque actuose ut cum Summo Sacerdote arctissime coniugentur secundum illud Apostoli: « Hoc... sentite in vobis, quod et in Christo Iesu »[80]; atque una cum ipso et per ipsum illud offerant, unaque cum eo se devoveant.

Christus utique sacerdos est, sed nobis non sibi sacerdos, cum vota religionisque sensus totius humani generis nomine aeterno Patri deferat; idem pariter victima est, sed nobis, cum semet ipsum in vicem hominis culpis obnoxii reponat. Iamvero illud Apostoli « hoc... sentite in vobis quod et in Christo Iesu » a christianis omnibus postulat,

[76] *Missale Rom.*, Secreta Dom. IX post Pentec.
[77] Cf. Sess. XXII, c. 2 et can. 4.
[78] Cf. *Gal.*, VI, 14.
[79] Mal., I, 11.
[80] *Philipp.*, II, 5.

ut eo modo animum in se referant affectum, quantum humana potest facultas, quo divini Redemptoris animus affectus erat, cum sui ipsius faciebat Sacrificium; humilem nempe referant mentis demissionem, summaeque Dei Maiestati adorationem adhibeant, honorem, laudem gratiarumque actionem. Postulat praeterea ab iisdem ut victimae condicionem quodammodo sumant, ut semet ipsos ad Evangelii praecepta abnegent, ut paenitentiae ultro libenterque dent operam, utque admissa quisque sua detestentur et expient. Postulat denique ut omnes una cum Christo mysticam in Cruce mortem obeamus, ita quidem ut Pauli sententiam usurpare possimus: « Christo confixus sum Cruci »[81].

Quod tamen christifideles Eucharisticum participant Sacrificium, non idcirco sacerdotali etiam potestate fruuntur. Id quidem vestrorum gregum clare prae oculis ponatis omnino necesse est.

Sunt enim, Venerabiles Fratres, qui hodie ad iam olim damnatos errores accedentes[82], docent in Novo Testamento sacerdotii nomine id solummodo venire, quod ad omnes spectet, qui sacri fontis lavacro expiati fuerint; itemque praeceptum illud, quo Iesus Christus in novissima caena id Apostolis commiserat faciendum, quod ipse fecerat, ad cunctam directo pertinere christifidelium Ecclesiam; atque exinde, deinceps tantum, hierarchicum consecutum esse sacerdotium. Quapropter populum autumant vera perfrui sacerdotali potestate, sacerdotem autem solummodo agere ex delegato a communitate munere. Quam ob rem Eucharisticum Sacrificium veri nominis « concelebrationem » existimant, ac reputant expedire potius ut sacerdotes una cum populo adstantes « concelebrent », quam ut privatim Sacrificium offerant absente populo.

Quantopere captiosi huius generis errores iis contradicant veritatibus, quas iam supra asseveravimus, de gra-

---

[81] *Gal.*, II 19.
[82] Cf. Conc. Trid. Sess. XXIII, c. 4.

du tractantes quo sacerdos in Mystico Iesu Christi Corpore pollet, explanare supervacaneum est. Illud tamen in memoriam revocandum esse ducimus, sacerdotem nempe idcirco tantum populi vices agere, quia personam gerit Domini nostri Iesu Christi, quatenus membrorum omnium Caput est, pro iisdemque semet ipsum offert; ideoque ad altare accedere ut ministrum Christi, Christo inferiorem, superiorem autem populo [83]. Populum contra, quippe qui nulla ratione Divini Redemptoris personam sustineat, neque conciliator sit inter seipsum et Deum, nullo modo iure sacerdotali frui posse.

Quae quidem fidei certitudine constant; at praeterea christifideles etiam divinam offerre hostiam, diversa tamen ratione, dicendi sunt.

Id iam luculentissime nonnulli ex Decessoribus Nostris et Ecclesiae doctoribus declararunt. « Non solum, ita imm. mem. Innocentius III, offerunt sacerdotes, sed et universi fideles: nam quod specialiter adimpletur ministerio sacerdotum, hoc universaliter agitur voto fidelium » [84]. Ac placet unum saltem ex pluribus S. Roberti Bellarmini effatis in hanc rem afferre: « Sacrificium, inquit, in persona Christi principaliter offertur. Itaque ista oblatio, consecrationem subsequens, est quaedam testificatio, quod tota Ecclesia consentiat in oblationem a Christo factam, et simul cum illo offerat » [85].

Eucharistici quoque Sacrificii ritus ac preces haud minus clare significant atque ostendunt victimae oblationem una cum populo a sacerdotibus fieri. Non solum enim post panis ac vini oblationem sacrorum administer, ad populum conversus, significanter dicit; « Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem » [86]; sed praeterea supplicationes, quibus

---

[83] Cf. S. Robertus Bellarm., *De Missa*, II, cap. 4.
[84] *De Sacro Altaris Mysterio*, III, 6.
[85] *De Missa*, I, cap. 27.
[86] *Missale Rom.*, Ordo Missae.

Deo divina offertur hostia, plurali numero plerumque eduntur; in iisdemque non semel indicatum est, populum etiam hoc augustum participare Sacrificium, quatenus idem offerentem. Haec enim, verbi gratia, habentur: « Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt... Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias. ...Nos servi tui, sed et plebs tua sancta offerimus praeclarae Maiestati tuae de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam »[87].

Nec mirum est christifideles ad huiusmodi dignitatem elevari. Baptismatis enim lavacro, generali titulo christiani in Mystico Corpore membra efficiuntur Christi sacerdotis, et « charactere » qui eorum in animo quasi insculpitur, ad cultum divinum deputantur; atque adeo ipsius Christi sacerdotium pro sua condicione participant.

Nullo non tempore in catholica Ecclesia humana ratio, fide collustrata, ad divinarum rerum maiorem, quae fieri possit, cognitionem contendit. Quamobrem consentaneum est ut christianus quoque populus pie quaerat, quo sensu et ipse in Eucharistici Sacrificii Canone illud offerre dicatur. Ut satis igitur faciamus pio eiusmodi voto, rem placet heic breviter presseque exponere.

Et primum quidem rationes habentur magis a re remotae, quia nempe haud raro contingit ut christifideles, sacris assistentes ritibus, suas preces cum sacerdotis precibus alternis vocibus conserant; itemque, quia nonnumquam — quod antiquitus eveniebat crebrius — administris altaris panem vinumque offerunt, ut Christi corpus et sanguis fiant; ac denique quia eleemosynis id agunt, ut sacerdos divinam victimam pro iisdem offerat.

At est etiam intima ratio, cur christiani omnes, ii praesertim qui altari adsunt, offerre dicantur.

Quia in re gravissima ne perniciosus oriatur error,

---

[87] *Ibidem*, Canon Missae.

offerendi vocem propriae significationis terminis circumscribamus oportet. Incruenta enim illa immolatio, qua consecrationis verbis prolatis Christus in statu victimae super altare praesens redditur, ab ipso solo sacerdote perficitur, prout Christi personam sustinet, non vero prout christifidelium personam gerit. At idcirco quod sacerdos divinam victimam altari superponit, eamdem Deo Patri qua oblationem defert ad gloriam Sanctissimae Trinitatis et in bonum totius Ecclesiae. Hanc autem restricti nominis oblationem christifideles suo modo duplicique ratione participant: quia nempe non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso quodammodo Sacrificium offerunt: qua quidem participatione, populi quoque oblatio ad ipsum liturgicum refertur cultum.

Christifideles autem per sacerdotis manus Sacrificium offerre ex eo patet, quod altaris administer personam Christi utpote Capitis gerit, membrorum omnium nomine offerentis; quo quidem fit, ut universa Ecclesia iure dicatur per Christum victimae oblationem deferre. Populum vero una cum ipso sacerdote offerre non idcirco statuitur, quod Ecclesiae membra, haud aliter ac ipse sacerdos, ritum liturgicum adspectabilem perficiant, quod solius ministri est ad hoc divinitus deputati: sed idcirco quod sua vota laudis, impetrationis, expiationis gratiarumque actionis una cum votis seu mentis intentione sacerdotis, immo Summi ipsius Sacerdotis eo fine coniungit, ut eadem in ipsa victimae oblatione, externo quoque sacerdotis ritu, Deo Patri exhibeantur. Externus enim sacrificii ritus suapte natura cultum internum manifestet necesse est: novae autem legis Sacrificium supremum illud obsequium significat, quo ipse principalis offerens, qui Christus est, et una cum eo et per eum omnia eius mystica membra debito Deum honore prosequantur ac venerentur.

Magno autem cum animi gaudio certiores facti sumus eiusmodi doctrinam, postremis hisce praesertim temporibus, ob impensius multorum liturgicae disciplinae studium,

in sua luce fuisse collocatam. Facere tamen non possumus, quin veritatis superlationes traiectionesque, quae cum germanis Ecclesiae praeceptis non concordent, vehementer deploremus.

Nonnulli siquidem illa omnino Sacrificia reprobant, quae privatim ac non adstante populo offerantur, quasi a prisca sacrificandi forma aberrent; nec desunt qui asseverent sacerdotes non posse eodem tempore pluribus in aris divina litare hostia, quod hac agendi ratione communitatem dissocient, eiusque unitatem in discrimen adducant: itemque non desunt, qui eo usque procedant, ut oportere prorsus reputent plebem confirmare ratumque habere Sacrificium, ut illud vim virtutemque sortiatur suam.

Perperam hac in re ad socialem Eucharistici Sacrificii indolem provocatur. Quotiescumque enim sacerdos id renovat, quod divinus Redemptor in novissima caena peregit, reapse Sacrificium consummatur: quod quidem Sacrificium, semper et ubique, itemque necessario ac suapte natura, publico et sociali munere fruitur; quandoquidem is, qui illud immolat, et Christi et christifidelium, cuius Divinus Redemptor est Caput, homine agit, atque illud Deo offert pro Ecclesia Sancta Catholica, ac pro vivis et defunctis [88]. Idque fit procul dubio sive Christifideles praesentes adsint — quos Nos frequentissimos pientissimosque adesse cupimus ac commendamus —, sive non adsint, cum neutiquam requiratur ut, quod sacrorum administer fecerit, populus ratum habeat.

Licet tamen ex iis, quae modo exposuimus, clare pateat nomine Christi atque Ecclesiae litari, neque suis fructibus etiam socialibus Eucharisticum privari Sacrificium quamvis nullo praesente acolytho a sacerdote celebretur, nihilo secius ob huius tam augusti mysterii dignitatem, volumus atque urgemus — quod ceteroquin semper praecepit Mater Ecclesia — ut nullus sacerdos ad altare accedat,

---

88 *Missale Rom.* Canon Missae.

nisi adsit minister, qui ei inserviat eique respondeat, ad normam canonis DCCCXIII.

Ut autem oblatio illa, qua in hoc Sacrificio christifideles divinam victimam Caelesti Patri offerunt, plenum sortiatur effectum, aliud quoque adiungant oportet: semet ipsos nempe quasi hostiam immolent necesse est.

Quae quidem immolatio ad liturgicum solummodo Sacrificium non reducitur. Vult enim Apostolorum Princeps ut eo ipso quod Christo tamquam lapides vivi superaedificamur, possimus tamquam « sacerdotium sanctum, offerre spiritales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum »[89]; Paulus autem Apostolus absque ullo temporis discrimine hisce verbis christianos adhortatur « Obsecro itaque vos, ... ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum »[90]. At cum potissimum christifideles liturgicae actioni tam pia intentaque mente coniunguntur, ut de iisdem reapse dici queat: « quorum tibi fides cognita est et nota devotio »[91], facere non possunt quin sua cuiusque fides alacrius per caritatem operetur, pietas vigeat atque flammescat, ac singuli universi divinae procurandae gloriae se consecrent, vehementerque cupientes Iesu Christo, acerrimos perpesso dolores, sese arctissime assimulare, cum ipso Summo Sacerdote et per ipsum se quasi spiritualem hostiam offerant.

Quod quidem illa etiam adhortamenta docent, quibus Episcopus, Ecclesiae nomine, sacrorum administros appellat quo die eos consecrat: « Agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis, quatenus, mortis dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnino procuretis »[92]. Ac fere eodem modo in sacris Liturgiae libris christiani admonentur, qui ad altare accedant, ut sacra participent: « Sit in hoc... altari

---

[89] 1 *Petr.*, II, 5.
[90] *Rom.*, XII, 1.
[91] *Missale Rom.*, Canon Missae.
[92] *Pontif. Rom.*, De Ordinatione presbyteri.

innocentiae cultus, immoletur superbia, iracundia iuguletur, luxuria omnisque libido feriatur, offeratur pro turturibus sacrificium castitatis et pro pullis columbarum innocentiae sacrificium »[93]. Dum igitur altari adstamus, ita animum nostrum transformemus oportet, ut quidquid peccatum est in eo penitus restinguatur, quidquid vero per Christum vitam gignit supernam, enixe refoveatur ac roboretur: atque adeo nos efficiamur, una cum Immaculata Hostia, victima Aeterno Patri accepta.

Quod quidem propositum sanctissimum ut Ecclesia aptiore, quo fieri possit, modo ad effectum deducere queat, per sacrae Liturgiae praecepta omni ope enititur. Huc enim non solum lectiones spectant, homiliae ceteraeque sacrorum administrorum conciones universusque mysteriorum cyclus, quae nobis per anni decursum recolenda proponuntur, sed vestimenta etiam ac sacri ritus eorumque externus apparatus; quae quidem eo pertinent ut « maiestas tanti Sacrificii commendetur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa, ad rerum altissimarum ,quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitentur »[94].

Omnia igitur liturgiae elementa eo contendunt, ut animus noster Divini Redemptoris imaginem per Crucis mysterium in se referat secundum illud Apostoli gentium: « Christo confixus sum Cruci; vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus »[95]. Quam ob rem nos veluti hostia una cum Christo efficimur ad augendam Aeterni Patris gloriam.

Huc igitur christifideles, divinam victimam in Eucharistico Sacrificio offerentes, animum convertant atque erigant. Si enim, ut S. Augustinus scribit, mysterium nostrum in mensa dominica positum est[96], id est ipse Christus Do-

---

[93] *Ibidem*, De altaris consecrat., Praefatio.
[94] Cf. Conc. Trid. Sess. XXII, c. 5.
[95] *Gal.*, II, 19-20.
[96] Cf. *Serm.* CCLXXII.

minus, prout Caput et symbolum coagmentationis illius exsistit, qua nos Corpus Christi sumus[97] et membra corporis eius[98]; si S. Robertus Bellarminus ad mentem doctoris Hipponensis docet, in Sacrificio altaris generale significari sacrificium, quo universum Corpus Christi mysticum, id est tota redempta civitas offertur Deo per Christum, Sacerdotem magnum[99]: nihil rectius, nihil iustius excogitari potest, quam nos omnes una cum Capite nostro, pro nobis passo, nosmetipsos quoque Aeterno Patri immolare. In altaris enim Sacramento, eodem Augustino auctore, Ecclesiae demonstratur, in re, quam eadem offert, ipsam quoque offerri[100].

Animadvertant igitur christifideles ad quam eos dignitatem sacrum Baptismatis lavacrum evexerit; neque satis habeant generali ea mentis intentione, quae Christi membra Ecclesiaeque filios decet, Eucharisticum participare Sacrificium, sed cum Summo Sacerdote eiusque in terris administro, ex sacrae Liturgiae rationibus, ultro arctissimeque coniuncti, una cum eodem tum peculiari modo devinciantur, cum divinae Hostiae consecratio peragitur, eamdemque una cum eo offerant, cum sollemnia illa verba pronuntiantur: « Per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi Deo Patri Omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum »[101]; quibus quidem verbis populus respondet: « Amen ». Neque christiani obliviscantur semet ipsos suasque sollicitudines, dolores, angustias, miserias necessitatesque una simul cum divino Capite Cruci suffixo offerre.

Laudibus igitur ii digni sunt, qui eo consilio ducti, ut christiana plebs Eucharisticum Sacrificium facilius salubriusque participet, « Missale Romanum » apte in populi

---

[97] Cf. *I Cor.*, XII, 27.
[98] Cf. *Eph.*, V, 30.
[99] Cf. S. Robertus Bellarm., *De Missa*, II, cap. 8.
[100] *De Civ. Dei*, lib. X, cap. 6.
[101] *Missale Rom.*, Canon Missae.

manibus ponere conantur, ita quidem ut christifideles, una cum sacerdote copulati, iisdem eius verbis iisdemque Ecclesiae sensibus comprecentur; itemque ii laudibus exornandi sunt, qui efficere contendunt, ut Liturgia externo etiam modo actio sacra fiat, quam reapse adstantes omnes communicent. Id quidem non una ratione contingere potest; cum nimirum universus populus, ex sacrorum rituum normis, vel sacerdotis verbis recto servato ordine respondet, vel cantus edit, qui cum variis Sacrificii partibus congruant, vel utrumque facit, vel denique cum in Sacris sollemnibus alternas Iesu Christi administri precibus dat voces unaque simul liturgica cantica concinit.

Quae tamen Sacrificii participandi rationes tum dilaudandae ac commendandae sunt, cum Ecclesiae praeceptis sacrorumque rituum normis diligenter obtemperant. Eo autem potissimum spectant, ut christianorum pietatem eorumque intimam cum Christo cum eiusque adspectabili administro coniunctionem alant ac foveant, itemque internos illos sensus et habitus excitent, quibus animus noster Summo Sacerdoti Novi Testamenti assimuletur oportet. Nihilo secius, quamvis externo quoque modo demonstrent Sacrificium suapte natura, utpote a Mediatore Dei et hominum [102] peractum, totius mystici Corporis Christi opus esse habendum; neutiquam tamen necessariae sunt ad publicam eiusmodi constituendam communemque notam. Ac praeterea id genus Sacrum, alternis vocibus celebratum, in locum augusti Sacrificii sollemniter peracti suffici non potest; quod quidem, etiamsi adstantibus solummodo sacris administris fiat, ob rituum maiestatem caerimoniarumque apparatum peculiari fruitur dignitate sua, cuius tamen splendor et amplitudo, si frequens pietateque praestans populus adsit, ut Ecclesiae in votis est, summopere adaugetur.

Animadvertendum quoque est eos veritatem egredi rectaeque rationis iter, qui fallacibus opinationibus ducti, haec

---

[102] Cf. *I Tim.*, II, 5.

rerum adiuncta tanti faciant, ut asseverare non dubitent, iisdem praetermissis, rem sacram statutum sibi finem assequi non posse.

Haud pauci enim e christifidelibus « Missali Romano », etiamsi vulgata lingua exarato, uti nequeunt; neque omnes idonei sunt ad recte, ut addecet, intellegendos ritus ac formulas liturgicas. Ingenium, indoles ac mens hominum tam varia sunt atque absimilia, ut non omnes queant precibus, canticis sacrisque actionibus, communiter habitis, eodem modo moveri ac duci. Ac praeterea animorum necessitates et propensa eorum studia non eadem in omnibus sunt, neque in singulis semper eadem permanent. Quis igitur dixerit, praeiudicata eiusmodi opinione compulsus, tot christianos non posse Eucharisticum participare Sacrificium, eiusque perfrui beneficiis? At ii alia ratione utique possunt, quae facilior nonnullis evadit; ut verbi gratia, Iesu Christi mysteria pie meditando, vel alia peragendo pietatis exercitia aliasque fundendo preces, quae, etsi forma a sacris ritibus differunt, natura tamen sua cum iisdem congruunt.

Quamobrem vos adhortamur, Venerabiles Fratres, ut in Dioecesi vel ecclesiastica dicione cuiusque vestra modum rationemque, quibus populus liturgicam actionem participet, moderari atque ordinare velitis secundum normas, quas « Missale » statuit, et secundum praecepta, quae Sacrum Consilium ritibus praepositum et Codex Iuris Canonici edidere; ita quidem ut debito omnia ordine ac decore fiant, neve cuilibet, etsi sacerdoti, liceat arbitrio suo sacris aedibus quasi experimenti causa uti. Quam ad rem id etiam Nobis in votis est, ut in singulis Dioecesibus, quemadmodum Consilium habetur sacris musicis et artibus tutandis, sic Consilium quoque constituatur ad liturgicum provehendum apostolatum, ut vigilanti cura vestra diligenter omnia ex Apostolicae Sedis praescriptionibus eveniant.

In religiosorum autem sodalium Communitatibus ea omnia, quae propriae Constitutiones hac in re statuere, ac-

curate serventur, neque res novae inducantur, quas earumdem Communitatum moderatores non ante probaverint.

Quantumvis vero externae rationes rerumque adiuncta, quibus christianus populus Eucharisticum Sacrificium participat ceterasque liturgicas actiones, varia ac dissimilia esse queant, eo tamen studiosissime semper contendendum est, ut arctioribus, quibus fieri possit, nexibus adstantium animi Divino Redemptori devinciantur, utque eorum vita sanctitate cotidie auctiore exornetur ac caelestis Patris gloria cotidie magis adaugeatur.

* * *

Augustum altaris Sacrificium divinae dapis Communione concluditur. Attamen, ut omnes norunt, ad eiusdem Sacrificii integritatem habendam requiritur solummodo ut Sacerdos caelesti pabulo reficiatur, non autem ut populus etiam — quod ceteroquin summopere optandum est — ad sacram synaxim accedat.

Placet autem hac super re eas iterare animadversiones, quas Decessor Noster Benedictus XIV de Tridentini Concilii definitionibus habet: « Primo... dicendum Nobis occurrit, nemini ex fidelibus in mentem venire posse Missas privatas, in quibus sacerdos solus sacram sumit Eucharistiam, propterea veri, perfecti et integri Sacrificii incruenti a Christo Domino instituti rationem amittere, ideoque illicitas esse existimandas. Nec enim ignorant fideles aut saltem facile edoceri possunt, Sacrosanctum Concilium Tridentinum, innixum doctrinae, quam perpetua Ecclesiae traditio servavit, huic adversantem novam falsamque Lutheri sententiam damnasse » [103]. « Si quis dixerit Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit » [104].

Ex veritatis igitur itinere ii aberrant, qui sacris ope-

---

[103] Litt. Encycl. *Certiores effecti,* d. d. XIII Nov. a. MDCCXLII § 1.

[104] Conc. Trid., Sess. XXII, can. 8.

rari nolint, nisi si christiana plebs ad divinam mensam accedat; ac magis etiam ii aberrant, qui, ut contendant necessarium omnino esse christifideles una cum sacerdote Eucharistica pasci dape, captiose asseverent heic agi non de Sacrificio solummodo, sed de Sacrificio ac caena fraternae communitatis, atque sacram Synaxim ponant, communiter actam, quasi totius celebrationis culmen.

Etenim etiam atque etiam animadvertendum est Eucharisticum Sacrificium suapte natura incruentam esse divinae victimae immolationem, quae quidem mystico modo ex sacrarum specierum separatione patet, ex earumque oblatione Aeterno Patri peracta. Sacra autem synaxis ad idem integrandum ad idemque Augusti Sacramenti communione participandum pertinet; dumque administro sacrificanti omnino necessaria est, christifidelibus est tantummodo enixe commendanda.

Quemadmodum autem Ecclesia, ut veritatis magistra est, catholicae fidei integritatem omni ope tutari enititur, ita, ut suorum est filiorum sollicita mater, eosdem summopere adhortatur ad maximum eiusmodi religionis nostrae beneficium studiose frequenterque participandum.

Cupit imprimis ut christiani — cum praesertim Eucharisticam dapem reapse sumere haud facile queant — votis saltem eam sumant; ita quidem ut vivida excitata fide, ac demisso reverenter animo Divinique Redemptoris voluntati omnino fidenti, flagrantiore, quo fieri possit, caritatis studio cum eodem coniungantur.

Sed hoc non satis eidem est. Quandoquidem enim, per Angelorum panis convivium, Sacrificii, ut supra diximus, « sacramentali » etiam Communione participes fieri possumus, idcirco Ecclesia Mater, ut efficaciore ratione « Redemptionis fructum in nobis iugiter sentiamus »[105], filiis suis singulis universis Christi Domini invitationem iterat: « Accipite et manducate... Hoc facite in meam com-

[105] *Missale Rom.*, Collecta Festi Corp. Christi.

memorationem »[106]. Quam ad rem Tridentina Synodus, Iesu Christi eiusque intaminatae Sponsae votis veluti resonans, vehementer adhortata est « ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior proveniret »[107]. Quin immo Decessor Noster imm. mem. Benedictus XIV, ut satius luculentiusque patescat christifideles per Eucharistiae perceptionem divinum ipsum participare Sacrificium, eorum pietatem dilaudat, qui non modo caelesti pabulo, dum Sacrificio intersunt, enutriri cupiant, sed ipsis in eodem Sacrificio consecratis hostiis cibari praeoptent, quamvis, ut ipse declarat, vere ac reapse Sacrificium participetur, etiamsi de Eucharistico pane agatur, cuius consecratio iam antea rite peracta fuerit. Ita enim scribit: « Et quamvis de eodem Sacrificio participent, praeter eos, quibus a sacerdote celebrante tribuitur in ipsa Missa portio Victimae a se oblatae, ii etiam, quibus sacerdos Eucharistiam reservari solitam ministrat; non tamen idcirco aut vetuit umquam Ecclesia, aut modo vetat, satisfieri ab ipso sacerdote pietati et iustae eorum petitioni, qui Missae adstantes, ad consortium admitti postulant eiusdem Sacrificii, quod et ipsi pariter offerunt ea ratione, quae ipsos decere potest: immo probat atque cupit ne id omittatur, eosque sacerdotes increparet, quorum culpa et negligentia fidelibus participatio illa denegaretur »[108].

Faxit autem utinam Deus, ut sollicitis hisce Ecclesiae invitationibus omnes ultro libenterque respondeant; faxit Deus ut christifideles vel cotidie, si possint, Sacrificium divinum non solum spirituali modo participent, sed Augusti etiam Sacramenti communione, Iesu Christi Corpus sumentes, pro omnibus Aeterno Patri oblatum. Excitate, Venerabiles Fratres, in eorum animis, qui vestris deman-

---

106 *I Cor.*, XI, 24.
107 Sess. XXII, c. 6.
108 Litt. Encycl. *Certiores effecti*, § 3.

dati sunt curis, studiosam ac veluti inexplebilem Iesu Christi famem; vobis magistris, altaria pueris iuvenibusque stipentur, qui sese, innocentiam suam, suamque actuosam navitatem Divino offerant Redemptori; frequentes accedant coniuges, qui ad sacram mensam enutriti, inde sumant ut sobolem sibi creditam Iesu Christi sensibus eiusque caritate conforment; advocentur opifices, ut cibum illum accipere queant, qui validus ac numquam deficiens eorum vires redintegret, quique eorum laboribus sempiternam in caelo mercedem praeparet; omnes denique cuiusvis ordinis homines convocate ac compellite intrare [109]; quandoquidem hic est panis vitae, quo omnes indigent. Iesu Christi Ecclesia hoc uno pane fruitur, quo nostrorum animorum optata ac desideria expleat, quo eos arctissime Iesu Christo coagmentet, et quo denique « unum corpus » [110] fiant, ac veluti fratres inter se ii consocientur, qui eidem caelesti Mensae assideant, ut frangentes panem unum, pharmacum sumant immortalitatis [111].

Valde autem opportunum est, quod ceteroquin Liturgia statuit, populum ad sacram accedere synaxim, postquam sacerdos divinam dapem ex ara libaverit; atque, ut supra scripsimus, ii dilaudandi sunt, qui, Sacro adstantes, hostias in eodem Sacrificio consecratas accipiant, ita quidem ut reapse contingat « ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione caelesti et gratia repleamur » [112].

Verumtamen causae interdum non desunt, nec rarae sunt, cur Eucharisticus panis vel ante vel post Sacrificium ipsum distribuatur, et cur etiam — quamvis sacra habeatur synaxis statim ac sacerdos se caelesti epulo cibaverit — hostiis tamen id fiat iam superiore tempore consecratis. Hisce etiam in rerum adiunctis — quod ceteroquin iam

---

[109] Cf. Luc., XIV, 23.
[110] *I Cor.*, X, 17.
[111] Cf. S. Ignat. Martyr., *Ad Ephes.*, 20.
[112] *Missale Rom.*, Canon Missae.

supra admonuimus — populus rite Eucharisticum participat Sacrificium, ac facilius non raro potest ad Mensam vitae aeternae accedere. Quodsi tamen Ecclesia, pro materna indulgentia sua, spiritualibus filiorum necessitatibus occurrere nititur, ii nihilo secius pro sua quisque parte debent, quidquid sacra Liturgia suadeat, non facile spernere, ac quotiescumque probabilis non obsistat causa, ea omnia efficere, quibus vivens Mystici Corporis unitas clarius ad altare patescat.

* * *

Opus sacrum, quod peculiares Liturgiae normae moderantur, postquam peractum est, non eum gratiarum actione exsolvit, qui caeleste degustavit pabulum; quin immo valde consentaneum est eum, Eucharistica accepta dape ac publicis conclusis ritibus, se recollegere, ac cum Divino Magistro intime coniunctum, cum eodem, prouti rerum adiuncta concedant, dulcissime salubriterque colloqui. Ii igitur ex recto secedunt veritatis tramite, qui verbo magis quam sententiae inhaerentes, asseverent ac doceant post Sacrum absolutum haud esse eiusmodi gratiarum actionem producendam, non modo quod ipsum altaris Sacrificium per se gratiarum sit actio, sed quod etiam ad peculiarem actum id pertineat privatae ac propriae suae cuiusque pietatis, non autem ad communitatis bonum.

At contra ipsa Sacramenti natura hoc postulat, ut eius perceptio uberes christianis edat sanctitatis fructus. Dimittitur utique publicus communitatis coetus, at singuli, una cum Christo copulati, in suo quisque animo laudis canticum non intermittant oportet « gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini Nostri Iesu Christi, Deo et Patri »[113]. Sacra etiam Eucharistici Sacrificii Liturgia ad hoc nos adhortatur, cum nos hisce verbis precari iubet: « Da, quaesumus, ut in gratiarum semper actione

---

113 *Ephes.*, V, 20.

maneamus[114],... et a tua numquam laude cessemus »[115]. Quamobrem, si nullo non tempore grates Deo agendae sunt, et a sua laude est numquam cessandum, quisnam audeat Ecclesiam reprehendere vel improbare, quod sacerdotibus suis[116] ac christifidelibus suadeat post sacram synaxim parumper saltem cum Divino colloqui Redemptore, et quod liturgicis inseruerit libris opportunas preces, indulgentiae muneribus ditatas, quibus sacrorum administri vel antequam sacris operentur divinaque dape reficiantur, apte se praeparent, vel, re divina peracta, gratum Deo profiteantur animum? Tantum abest ut sacra Liturgia intimos singulorum christianorum sensus reprimat, ut eos potius idcirco refoveat atque instimulet, ut Iesu Christo assimulentur, per eumdemque ad caelestem Patrem dirigantur; quapropter haec eadem disciplina postulat ut quisquis sancta de altari libaverit, debitas Deo grates persolvat. Divino enim placet Redemptori nos deprecantes audire, nobiscum aperto animo colloqui, nobisque in flagranti Corde suo praebere refugium.

Quin immo eiusmodi actus, singulorum proprii, omnino necessarii sunt, ut uberius omnes supernis fruamur thesauris, quibus Eucharistia affluit, eosdemque pro facultate in ceteros refundamus, ut Christus Dominus in omnium animis suae virtutis plenitudinem assequatur.

Cur igitur, Venerabiles Fratres, eos non dilaudemus, qui cum Eucharisticum pabulum acceperint, postquam etiam christifidelium coetus publice dimissus sit, una cum Divino Redemptore intima familiaritate commorentur, non modo ut cum eo colloquantur suavissime, sed ut eidem etiam grates agant debitasque referant laudes, ac praesertim ut opem poscant, ut ex animis arceant cuiusque suis

---

[114] *Missale Rom.*, Postcommunio Dominicae infra Oct. Ascens.

[115] *Ibidem*, Postcommunio Dominicae I post Pentec.

[116] *C. I. C.*, can. 810.

quidquid sacramenti efficacitatem minuat, utque ea omnia pro sua parte efficiant, quae praesentissimae Iesu Christi actioni obsecundare possint? Id peculiari modo faciant, hortamur, cum suscepta exsequendo proposita, christianasque exercendo virtutes, tum ad suas referendo necessitates quod regali liberalitate acceperint. Certe equidem aurei libelli auctor *De imitatione Christi* secundum Liturgiae praecepta et afflatum loquitur, cum haec ei suadet, qui ad sacram synaxim accesserit: « Mane in secreto et fruere Deo tuo: ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest »[117].

Nos omnes itaque una cum Christo arctissime devincti, sanctissimo eius animo quasi nos submergere nitimur, atque idcirco eidem coagmentamur, ut illos actus participemus, quibus ipse grato acceptissimoque obsequio Augustam Trinitatem adorat; quibus summas Aeterno Patri grates laudesque refert, caelis terrisque concorditer resonantes, secundum illud: « Benedicite omnia opera Domini Domino »[118]; quibus denique consociati caelestem opem eo horae momento imploramus, quo nullum magis opportunum datur ad petenda impetrandaque Christi nomine auxilia[119], et quibus potissimum hostiam nos offerimus atque immolamus dicentes: « Nosmet ipsos tibi perfice munus aeternum »[120].

Continenter Divinus Redemptor studiosam geminat invitationem suam: « Manete in me »[121]. Per Eucharistiae autem Sacramentum Christus in nobis et nos in Christo commoramur; et quemadmodum Christus, in nobis manens, vivit et operatur, ita oportet nos, in Christo manentes, per eum vivamus atque operemur.

---

117 Lib. IV, cap. 12.
118 Dan. III, 57.
119 Cf. Ioan. XVI, 23.
120 *Missale Rom.*, Secreta Missae SS. Trinit.
121 Ioan., XV, 4.

* * *

Eucharisticum pabulum continet, ut omnes norunt, « vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi »[122]; nihil igitur est mirum, si Ecclesia, inde ab originibus, Christi corpus sub panis specie adoraverit, ut ex ipsis patet augusti Sacrificii ritibus, quibus sacrorum administris praecipitur ut, positis genibus, vel graviter inclinato capite, Sacramentum sanctissimum adorent.

Sacra Concilia docent traditum Ecclesiae esse, inde a suae aetatis initio, ut « una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne »[123] recolat; ac S. Augustinus asseverat: « Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit », addens, nos non solum non peccare adorando, sed peccare non adorando[124].

Quibus doctrinae principiis Eucharisticus adorationis cultus ortus est, ac pedetemptim succrevit, a divina litatione distinctus. Sacrarum specierum conservatio pro infirmis, pro iisque omnibus, qui in mortis discrimen venissent, laudabilem induxit morem adorandi caelestem hanc dapem, quae in templis reponitur. Qui quidem adorationis cultus valida firmaque ratione nititur. Eucharistia enim et Sacrificium, et Sacramentum est; hoc autem a ceteris idcirco differt, quod non modo gratiam gignit, sed ipsum gratiae auctorem stabili modo continet. Cum igitur Ecclesia nos iubet Christum Eucharisticis delitescentem velis adorare, ab eodemque superna ac terrestria ea dona petere, quibus nullo intermisso tempore indigeamus, vividam patefacit fidem, qua divinum suum Sponsum iisdem sub velis praesentem credit, gratam ei suam profitetur voluntatem, intimaque fruitur familiaritate eius.

---

[122] Conc. Trid., Sess. XIII, can. 1.

[123] Conc. Constant. II, *Anath. de trib. Capit.*, can. 9 collat. Conc. Ephes., *Anath Cyrill.*, can. 8. Cf. Conc. Trid., Sess. XIII, can. 6; Pius VI, Const. *Auctorem fidei*, n. LXI.

[124] Cf. *Enarr. in Ps. XCVIII*, 9.

Eiusmodi autem cultus varias decursu temporis Ecclesia invexit formas, cotidie utique pulchriores salubrioresque: ut, exempli gratia, pias ac vel cotidianas ad divina tabernacula salutationes; ut sacros benedictionis ritus per Sanctissimum Sacramentum peractae; utque sollemnes pompas, praesertim in Conventibus Eucharisticis, per urbes, per pagos ductas, ac Sacramenti Augusti publice propositi adorationes. Quae quidem publicae adorationes interdum brevi tempore aguntur, interdum vero per horas ac vel per XXXX horas producuntur; atque alicubi in integrum quoque annum per vices in singulis templis continuantur, alicubi vero diu etiam noctuque Religiosarum Sodalitatum cura perpetuantur; easdemque non raro christifideles quoque participant.

Haec pietatis exercitia mirandum in modum ad fidem supernamque vitam Ecclesiae hisce in terris militantis contulerunt, quae quidem hac agendi ratione triumphanti Ecclesiae quodammodo resonat, laudis hymnum perpetuo extollenti ad Deum et Agnum « qui occisus est »[125]. Quamobrem pia eiusmodi exercitia, usquequaque terrarum per saeculorum decursum propagata, non modo Ecclesia probavit, sed veluti sua effecit, auctoritateque sua commendavit[126]. Ex sacrae Liturgiae afflatu oriuntur; atque adeo, si debito decore eaque fide ac pietate fiant, quae ex sacris ritibus Ecclesiaeque praescriptionibus requiruntur, ad liturgicam vivendam vitam procul dubio summopere conferunt.

Neque dicendum est Eucharistico eiusmodi cultu Christum historicum, ut aiunt, qui in terris aliquando vixit, ac Christum in Augusto altaris Sacramento praesentem, eumque, qui gloriose in caelis triumphat, supernaque impertit munera, una simul falsum in modum permisceri; quin immo asseverandum potius est hac ratione christifideles Ecclesiae fidem testari sollemniterque patefacere, qua idem

125 *Apoc.*, V, 12 coll. VII, 10.
126 Cf. Conc. Trid., Sess. XIII, c. 5 et can. 6.

esse creditur Dei Verbum ac Mariae Virginis Filius, qui in Cruce passus est, qui in Eucharistia praesens latet, quique in supernis regnat sedibus. Ita S. Ioannes Chrysostomus: « ...Cum ipsum (Corpus Christi) videris propositum, tibi ipsi dic: Propter hoc Corpus non sum ego amplius terra et cinis, non ultra captivus, sed liber: ideo caelos spero et bona illic reposita me accepturum esse, immortalem vitam, Angelorum sortem, cum Christo consuetudinem: hoc Corpus clavis confixum, flagris caesum, mors non tulit;... hoc est illud corpus, quod cruentatum fuit, lancea perfossum, quod salutares fontes scaturivit orbi, alium sanguinis, alium aquae... Hoc Corpus dedit nobis et tenendum et comedendum, quod intensae dilectionis fuit »[127].

Peculiari autem modo mos ille valde dilaudandus est, quo multa pietatis exercitia in christiani populi consuetudinem invecta, Eucharistiae benedictionis ritu finem habent. Optime enim, nec sine ubere fructu evenit, ut sacerdos pronis coram frontibus christianae multitudinis, Angelorum Panem ad caelum attollens, eumque in Crucis formam rite circumferens, caelestem Patrem comprecetur benigne ut velit oculos ad Filium suum convertere, amore nostrum patibulo suffixum, eiusque causa et per ipsum, qui Redemptor et frater noster esse voluit, superna munera in eos effluere iubeat, quos immaculatus redemit Agni sanguis[128].

Summa igitur, qua soletis, diligentia contendite, Venerabiles Fratres, ut templa, quae christianarum gentium fides ac pietas per saeculorum decursum idcirco aedificarunt, ut perpetuum gloriae hymnum omnipotenti Deo concinerent, ac Redemptori nostro sub Eucharisticis speciebus latenti dignam praeberent sedem, christifidelibus frequentioribus usque pateant, qui, ad pedes Servatoris nostri convocati, suavissimam eius invitationem audiant: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego re-

---

[127] *In I ad Cor.*, XXIV, 4.
[128] Cf. *I Petr.*, I, 19.

ficiam vos »[129]. Sint eadem domus Dei, in quam qui beneficia petituri ingrediuntur, cuncta se impetrasse laetentur[130], ac consolationem caelestem consequantur.

Ita solummodo contingere poterit, ut universa hominum familia compositis tandem rebus pacificetur, ac mente animoque concordi illud spei canat caritatisque carmen « Bone Pastor, panis vere, - Iesu nostri miserere: - tu nos pasce, nos tuere: - tu nos bona fac videre - in terra viventium »[131].

III.

Optima christianae vitae forma ac ratio in eo consistit, ut se quisque arctissime continenterque cum Deo coniungat. Quamobrem cultus, quem Ecclesia aeterno Numini tribuit, quique in Eucharistico praesertim Sacrificio nititur Sacramentorumque usu, ita ordinatur ac componitur, ut per divinum officium diei horas, hebdomades, cunctumque anni cursum amplectatur, omniaque tempora variasque humanae vitae condiciones attingat.

Cum Divinus Magister praeceperit: « Oportet semper orare et non deficere »[132], Ecclesia huic admonitioni fideliter obtemperans, preces fundere numquam intermittit, atque hisce Apostoli gentium verbis nos adhortatur: « Per ipsum (Iesum) offeramus hostiam laudis semper Deo »[133].

Publica ac communis supplicatio, quae ab omnibus una simul admovetur Deo, antiquissima aetate certis diebus certisque horis solummodo habebatur. Verumtamen non modo in coetibus, sed privatis etiam in domibus, atque interdum una cum vicinis et amicis, Deo supplicabatur. Mox vero, in variis christiani orbis partibus, consue-

---

129 Matth., XI, 28.
130 Cf. *Missale Rom.*, Coll. in Missa Ded. Eccl.
131 *Missale Rom.*, Seq. *Lauda Sion* in festo SSmi Corporis Christi.
132 Luc. XVIII, 1.
133 *Hebr.*, XIII, 15.

tudo invaluit peculiaria tempora sacrae precationi destinandi, ut exempli gratia postremam diei horam, cum advesperascit ac lucerna accenditur; vel primam, cum nox ad finem vergit, post nempe galli cantum et sub diurni sideris ortum. Alia diei momenta, utpote fundendis precibus aptiora, in Sacris Litteris indicantur, vel ex tradito Hebraeorum more atque ex cotidianae vitae usu. Secundum « Apostolorum Acta » Iesu Christi discipuli una simul coniuncti hora tertia comprecabantur, cum « repleti sunt omnes Spiritu Sancto »[134]; Apostolorum autem Princeps, antequam cibum sumeret, « ascendit... in superiora ut oraret circa horam sextam »[135]; ac Petrus et Ioannes « ascendebant in templum ad horam orationis nonam »[136] et « media... nocte Paulus et Silas orantes, laudabant Deum »[137].

Variae eiusmodi supplicationes, consilio praesertim et opera monachorum eorumque, qui asceticae disciplinae se dederant, decursu temporis cotidie magis perficiuntur, ac pedetemptim Ecclesiae auctoritate in ipsum sacrae Liturgiae usum inducuntur.

Est igitur « Divinum Officium », quod vocamus, Mystici Iesu Christi Corporis precatio, quae christianorum omnium nomine eorumque in beneficium adhibetur Deo, cum a sacerdotibus aliisque Ecclesiae ministris et a religiosis sodalibus fiat, in hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis.

Divinae huius laudis ratio ac virtus quae esse debeant ex iis eruitur verbis, quae Ecclesia dicenda suadet, antequam horariae preces incipiantur, praecipiens nempe ut « digne, attente ac devote » recitentur.

Dei Verbum, humanam naturam assumens, terrestri huic exsilio hymnum illum invexit, qui in supernis sedibus per omne aevum canitur. Universam hominum communi-

---

134 Cf. *Act.*, II, 1-15.
135 *Ibidem*, X, 9.
136 *Ibidem*, III, 1.
137 *Ibidem*, XVI, 25.

tatem ipse sibi coagmentat, eamdemque in divino hoc concinendo laudis carmine secum consociat. « Quid oremus, sicut oportet, nescimus », sicut nobis humiliter confitendum est, « sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus » [138]. Ac Christus quoque per Spiritum suum in nobis Patrem efflagitat « Nullum maius donum praestare posset Deus hominibus. ...Orat (Iesus) pro nobis ut sacerdos noster; orat in nobis ut caput noster; oratur a nobis ut Deus noster... Agnoscamus ergo et in illo voces nostras et voces eius in nobis. ... Oratur in forma Dei, orat in forma servi: ibi Creator, hic creatus creaturam mutandam non mutatus assumens, et secum nos faciens unum hominem, Caput et corpus » [139].

Excelsae dignitati eiusmodi Ecclesiae precationis intenta animi nostri pietas respondeat oportet. Ac quandoquidem orantis vox ea repetit carmina, quae Spiritus Sancti afflatu conscripta sunt, quaeque perfectissimam Dei amplitudinem declarant atque efferunt, necesse quoque est ut hanc vocem internus nostri spiritus motus ita comitetur, ut eosdem sensus illos efficiamus nostros, quibus ad caelum erigamur, quibus sanctam adoremus Trinitatem, et quibus laudes ac grates eidem tribuamus debitas: « Sic stemus ad psallendum ut mens nostra concordet voci nostrae » [140]. Non igitur de recitatione tantum agitur, vel de cantu, qui, quamvis ex musicae artis sacrorumque rituum normis sit perfectissimus, aures tamen solummodo attingat, sed potissimum de ascensu mentis animique nostri ad Deum, ut eidem nosmet ipsos, omnesque actiones nostras, Iesu Christo coniuncti, penitus addicamus.

Inde profecto pro supplicationum nostrarum non exigua parte efficacitas pendet. Quae quidem, si ad ipsum

---

138 *Rom.*, VIII, 26.
139 S. Augustin., *Enarr, in Ps. LXXXV*, n. 1.
140 S. Benedict., *Regula Monachorum*, c. XIX.

Verbum, hominem factum, non admoventur, hisce verbis concluduntur « per Dominum nostrum Iesum Christum »; qui, utpote nostrum Deique conciliator, stigmata sua gloriosa caelesti Patri ostendit, « semper vivens ad interpellandum pro nobis »[141].

Psalmi, ut omnes norunt, praecipuam constituunt « Divini Officii » partem. Cunctum iidem diei cursum complectuntur, sanctitateque afficiunt atque ornant. Pulchre Cassiodorus de Psalmis, in « Officium divinum » suae aetatis distributis declarat: « Ipsi... diem venturum matutina exsultatione conciliant, ipsi nobis primam diei horam dedicant, ipsi nobis tertiam horam consecrant, ipsi sextam in panis confractione laetificant, ipsi nobis nonâ ieiunia resolvunt, ipsi diei postrema concludunt, ipsi, noctis adventu, ne mens nostra tenebretur efficiunt »[142].

Veritates in mentem revocant, populo electo divinitus patefactas, terribiles interdum, interdum vero suavissima dulcedine perfusas; spem repetunt atque incendunt promissi Liberatoris, quae olim vel circa domesticos focos, vel in ipsa templi maiestate concinendo refovebatur; itemque mirifica in luce ponunt Iesu Christi gloriam in antecessum significatam ac summam aeternamque eius virtutem, dein vero hoc in terrestre exsilium eius adventum demissionemque, regiam eius dignitatem potestatemque sacerdotalem, ac denique beneficos eius labores eiusque in nostram redemptionem profusum sanguinem. Ac pari modo nostrorum animorum iucunditatem exprimunt, aegritudinem, spem, timorem, ac Deo omnino fidentem eumdemque redamantem voluntatem nostram, nostrumque mysticum ascensum erga divina tabernacula.

« Psalmus... benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiae,

---

[141] *Hebr.*, VII, 25.
[142] *Explicatio in Psalterium*, Praefatio.

fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis laetitia, clamor iucunditatis, laetitiae resultatio »[143].

Prisca aetate frequentiores christifideles horariis hisce precibus aderant; sed hoc pedetemptim exolevit, atque, ut modo diximus, in praesens earum recitatio clero solummodo ac religiosis sodalibus officium est. Nihil igitur districto iure laicorum ordini hac in re praecipitur; verumtamen summopere optandum est, ut horarias illas preces recitando vel canendo, actu participent, quae diebus festis sub vesperum in sua cuiusque curia habeantur. Enixe vos vestrosque adhortamur, Venerabiles Fratres, ut pia haec consuetudo in usu esse ne desinat, utque, ubicumque obsolevit, iterum pro facultate effecta detur. Quod tum procul dubio salutaribus cum fructibus fiet, cum vespertinae laudes non solum digne ac decore persolventur, sed ita quoque ut variis modis christifidelium pietatem suaviter alliciant. Dierum festorum, qui peculiari modo Deo dicandi ac consecrandi sunt, publice ac privatim sit inviolata religio; imprimisque diei dominicae, quam Apostoli, a Spiritu Sancto edocti, in locum sabbati substituerunt. Si autem Iudaeis praeceptum fuit: « Sex diebus facietis opus: in die septimo Sabbatum est: requies sancta Domino: omnis qui fecerit opus in hac die, morietur »[144]: quomodo Christiani illi spiritualem mortem non timeant, qui diebus festis opera servilia peragant, per eorumque requietem non pietati, non religioni se dedant, sed saeculi huius illecebris intemperanter concedant? Rebus igitur divinis, quibus Deus colitur, animus autem pabulo caelesti enutritur, dies dominica ceterique dies festi consecrandi sunt: et quamvis Ecclesia id tantum praecipiat, ut christifideles nempe a servili labore abstineant et Eucharistico intersint Sacrificio, de vespertino autem cultu praeceptum nullum habeat, aliud tamen etiam atque etiam commendat in votisque habet; ac ceteroquin aliud quoque postulat singulorum

143 S. Ambros., *Enarrat. in Ps. I*, n. 9.
144 *Exod., XXXI*, 15.

necessitas, qua omnes sibi tenentur propitiare Deum ut eius impetrent beneficia. Summo dolore Noster oppletur animus, cum cernimus qua agendi ratione nostris hisce temporibus mediam diei festi partem, postmeridianam dicimus, christianus populus traducat: publica spectaculorum loca publicique ludi frequentantur quam maxime, dum sacrae aedes minus quam decet celebrantur. At oportet utique omnes nostra adeant templa, ut inibi catholicae fidei veritatem doceantur, ut Dei laudes concinant, utque per sacerdotem Eucharistica benedictione ditentur, et contra huius vitae adversa caelesti ope muniantur. Perdiscant pro viribus omnes eas formulas retinere, quae in precibus ad vesperam habitis concinuntur, earumque significatione suos imbuant animos; hisce enim vocibus effecti ac permoti, quod S. Augustinus de se asseverat, experientur: « Quantum flevi in hymnis et canticis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Voces illae influebant auribus meis, et eliquabatur veritas in cor meum, et exaestuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrimae, et bene mihi erat »[145].

* * *

Per totum anni cursum Eucharistici Sacrificii celebratio itemque preces horariae circa Iesu Christi personam potissimum vertuntur; ac res tam consone congruenterque componuntur, ut in iisdem Servator noster per suae demissionis, redemptionis triumphique mysteria dominetur.

Quae quidem Iesu Christi mysteria dum sacra Liturgia in memoriam revocat, contendit ut credentes omnes ita eadem participent, ut divinum Mystici Corporis Caput in singulis membris perfectissima sanctitate sua vivat. Christianorum animi veluti altaria sint, in quibus varia Sacrificii momenta, quod Summus immolat Sacerdos, alia ex aliis quodammodo reviviscant: dolores nempe ac lacrimae, quae peccata detergunt et expiant; precatio Deo

[145] *Confess.*, lib. IX, cap. 6.

admota, quae ad caelum usque erigitur; sui ipsius devotio ac veluti immolatio, quae prompto, generoso, studiosoque fit animo; ac denique arctissima coniunctio, qua nos nostraque Deo committimus, in eoque conquiescimus; « cum religionis summa sit imitari quem colis »[146].

Modis ac rationibus hisce congruenter, quibus Liturgia per stata tempora Iesu Christi vitam nobis meditandam proponit, Ecclesia nobis exempla ostendit, quae imitari oportet, ac sanctitatis thesauros indicat, quos nobis assumamus, quandoquidem quod ore canitur, mente credere necesse est, et quod mente creditur, in privatos est publicosque mores inducendum.

Sacri enim Adventus tempore, peccatorum, quae misere patraverimus, in nobis conscientiam excitat; nosque adhortatur ut, cupiditatum refrenatione voluntariisque corporis castigationibus usi, nosmet ipsos pie meditando recollegamus, ac vivido illo permoveamur desiderio redeundi ad Deum, qui unus potest nos ab admissorum labe et a funestis illis, quae inde consequuntur malis sua gratia liberare.

Redemptoris autem redeunte natali die, videtur nos veluti ad Bethlehemiticum reducere specum, ut ibi edoceamur omnino necessarium esse renasci denuo ac nos funditus reformare, quod quidem tum solummodo fit, cum Dei Verbum, hominem factum, intima ac vitali ratione attingimus, eiusque divinam naturam, ad quam evecti sumus, participamus.

Per Epiphaniae vero sollemnia gentium vocationem ad christianam fidem revocans, vult nos cotidie aeterno Numini de tanto beneficio gratias agere, impensa fide Deum vivum et verum appetere, res supernas pie penitusque intellegere, ac silentium meditationemque adamare, quo facilius caelestia intueamur ac capiamus dona.

« Septuagesimae » ac « Quadragesimae » diebus etiam

---

146 S. Augustin., *De Civ. Dei,* lib. VIII, cap. 17.

atque etiam eo contendit Mater nostra Ecclesia, ut miserias quisque nostras intente consideremus, ut ad morum emendationem actuose incitemur, utque peculiari modo peccata detestemur, eaque precando paenitendoque deleamus; quandoquidem adsidua precatio et admissorum paenitentia supernum nobis conciliant auxilium, sine quo quaevis opera nostra inanis ac sterilis est.

Sacro autem tempore, quo asperrimi Iesu Christi cruciatus a Liturgia proponuntur, ad Calvariam nos Ecclesia invitat, ut cruentis Divini Redemptoris vestigiis insistamus, ut una cum eo Crucem volentes subeamus, ut eosdem in animum referamus nostrum expiationis placationisque sensus, utque simul omnes cum eo commoriamur.

Per Paschalia sollemnia, quibus Christi triumphus commemoratur, intimo animus noster perfunditur gaudio; ac probe recogitare debemus nobis quoque una cum Redemptore resurgendum esse ex frigida atque inerti vita ad ferventiorem sanctioremque, plene generoseque nos donando Deo, ac miseram obliviscendo hanc terram, ut unice ad caelum aspiremus: « si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ... quae sursum sunt sapite »[147].

Pentecostes denique tempore, suis praeceptis Ecclesia suaque nos adhortatur opera, ut ad Spiritus Sancti actionem nos dociles praebeamus; qui quidem animos nostros divina incendere caritate exoptat, ut in virtute studiosius cotidie progrediamur, atque adeo sancti simus, quemadmodum Christus Dominus eiusque Pater, qui est in caelis, sancti sunt.

Liturgicus igitur annus veluti magnificus laudis hymnus habendus est, quem christianorum familia per Iesum, perpetuum conciliatorem suum, caelesti Patri admovet; sed diligens etiam ordinatumque studium a nobis postulat, quo magis in dies magisque divinum cognoscamus ac laudemus Redemptorem nostrum; itemque impensum validum-

[147] *Coloss.*, III, 1-2.

que nisum atque indefessum requirit exercitium, quo eius imitemur mysteria, quo dolorum eius iter volentes ingrediamur, et quo tandem aliquando eius gloriam eiusque sempiternam participemus beatitatem.

Ex praeceptis hisce, quae usque adhuc tradidimus, luculenter apparet, Venerabiles Fratres, quantum a germana ac sincera Liturgiae ratione ii aberrent nostrorum temporum scriptores, qui, elatioris mysticae disciplinae decepti specie, asseverare audeant non attendendum esse Christum históricum, sed « pneumaticum, vel glorificatum »; itemque affirmare non dubitent, in christifidelium pietate exercenda, Christum, inducta mutatione, quasi e sua sede deiectum esse, cum Christus glorificatus, qui vivit et regnat in saecula saeculorum et sedet ad dexteram Patris, occultatus sit, in eiusque locum Christus ille sit invectus, qui terrenam hanc vitam degebat. Quamobrem nonnulli eo usque procedunt, ut Divini Redemptoris imagines in Cruce dolentis ex sacris aedibus removere expetant.

Attamen falsa eiusmodi commenta sanae omnino obstant doctrinae, a maioribus traditae. « Credis in Christum natum in carne, ita S. Augustinus, et pervenies ad Christum natum de Deo, Deum apud Deum »[148]. Sacra autem Liturgia totum nobis Christum proponit in omnibus suae vitae condicionibus: eum nempe, qui Aeterni Patris est Verbum, qui e Deipara Virgine nascitur, qui veritatem nos docet, qui aegrotos sanat, qui maerore affectos solatur, qui dolores patitur, qui moritur; ac deinde qui ex triumphata morte resurgit, qui in caeli gloria regnans Paraclitum in nos immittit Spiritum, qui perpetuo denique in sua Ecclesia vivit: « Iesus Christus heri et hodie: ipse et in saecula »[149]. Ac praeterea non modo eum nobis imitandum praebet, sed magistrum etiam ostendit, cui pronas demus aures pastorem, quem sequamur, ac salutis nostrae conciliatorem, san-

---

148 S. Augustin., *Enarr. in Ps CXXIII*, n. 2.
149 *Hebr.*, XIII, 8.

ctitatis nostrae principium, et Mysticum Caput, cuius nos membra vita sua fruentia sumus.

Quoniam vero acerbi eius cruciatus praecipuum constituunt mysterium, ex quo salus nostra oritur, catholicae fidei consentaneum est in maxima illud sua luce poni; est siquidem divini cultus veluti centrum, cum Eucharisticum Sacrificium cotidie illud repraesentet et innovet, et cum Sacramenta omnia arctissimo vinculo Cruci coniungantur [150].

Quapropter liturgicus annus, quem Ecclesiae pietas alit ac comitatur, non frigida atque iners earum rerum repraesentatio est, quae ad praeterita tempora pertinent, vel simplex ac nuda superioris aetatis rerum recordatio. Sed potius est Christus ipse, qui in sua Ecclesia perseverat, quique immensae misericordiae suae iter pergit, quod quidem in hac mortali vita, cum pertransiit benefaciendo [151], ipse pientissimo eo consilio incepit, ut hominum animi mysteria sua attingerent ac per eadem quodammodo viverent; quae profecto mysteria, non incerto ac subobscuro eo modo, quo recentiores quidam scriptores effutiunt, sed quo modo catholica doctrina nos docet, praesentia continenter adsunt atque operantur; quandoquidem, ex Ecclesiae Doctorum sententia, et eximia sunt christianae perfectionis exempla, et divinae gratiae sunt fontes ob merita deprecationesque Christi, et effecto suo in nobis perdurant, cum singula secundum indolem cuiusque suam salutis nostrae causa suo modo exsistant. Accedit quod pia Mater Ecclesia, dum Redemptoris nostri mysteria nobis proponit contemplanda, precibus suis superna ea dona efflagitat, quibus filii sui eorundem mysteriorum spiritu quam maxime ex virtute Christi imbuantur. Cuius quidem afflatu et virtute nos possumus, per sociam voluntatis nostrae operam, vitalem vim nobis assumere, sicut palmites ex arbore at-

---

150 S. Thom., *Summa Theol.* III, q. XLIX et q. LXII, art. 5.
151 Cf. *Acta*, X, 38.

que ex capite membra; itemque nos pedetemptim laborioseque transformare possumus « in mensuram aetatis plenitudinis Christi » [152].

* * *

Per liturgici anni decursum non modo Iesu Christi mysteria, sed Sanctorum etiam caelitum festa celebrantur. Quibus in festis, etsi de inferiore ac subiecto ordine agitur, Ecclesia tamen semper eo contendit, ut nempe sanctitatis exempla christifidelibus proponat, quibus iidem permoti, Divini ipsius Redemptoris virtutibus se exornent.

Etenim sanctorum caelitum, in quorum virtutibus ipsa Iesu Christi virtus varia ratione resplendet, nos imitatores simus oportet, sicut eius ipsimet imitatores fuere. In aliis siquidem apostolatus studium refulsit, in aliis vero nostrorum heroum fortitudo ad sanguinis usque effusionem viguit; in aliis constans vigilantia enituit, qua divinum praestolabantur Redemptorem, in aliis autem virginalis splenduit animi candor ac modesta praestitit christianae humilitatis suavitas; in omnibus denique incensissima efferbuit erga Deum, erga proximos caritas. Quae omnia sanctitudinis decora sacra Liturgia nostros ante oculos ponit, ut eadem salutariter intueamur, et ut « quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis » [153]. Oportet igitur retinere « in simplicitate innocentiam, in caritate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adiuvandis laborantibus misericordiam in fovendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinae severitate censuram, ne aliquid ad exemplum bonorum factorum desit in nobis. Haec sunt enim vestigia, quae nobis Sancti, revertentes in patriam, reliquerunt, ut illorum semitis inhaerentes, sequeremur et gaudia » [154]. Ut autem nostri quoque sensus salubriter ex-

---

152 *Eph.*, IV 13.
153 *Missale Rom.*, Collecta III Missae pro plur. Martyr. extra T. P.
154 S. Beda Vener., *Hom. LXX in solemn. omnium Sanct.*

citentur, vult Ecclesia nostris in templis sanctorum caelitum imagines proponantur, semper tamen eadem ratione permota, ut nempe «quorum colimus imagines, virtutes imitemur »[155].

At aliud praeterea est, cur sanctis caelitibus a christiano populo habeatur cultus, ut scilicet eorum imploretur auxilium, et « quorum delectamur praeconiis, sublevemur eorum patrociniis »[156]. Inde facile eruitur, cur sacra Liturgia plurimas precum formulas nobis praebeat, quibus sanctorum caelitum patrocinium invocetur.

Sanctos autem inter caelites praestantiore modo colitur Deipara Virgo Maria. Eius siquidem vita, ex munere divinitus accepto, Iesu Christi mysteriis arctissime inseritur, ac nemo profecto Incarnati Verbi vestigiis propius quam illa atque efficacius institit, nemo maiore gratia potestateque fruitur apud Cor Sacratissimum Filii Dei, ac per illud apud caelestem Patrem. Ipsa Cherubimis ac Seraphimis sanctior est, ac prae ceteris caelitibus ampliore prorsus potitur gloria, cum sit « gratia plena »[157], sitque Dei genitrix, nobisque felici partu suo dederit Redemptorem. Ut est igitur « Mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra », ad eam clamemus omnes « gementes et flentes in hac lacrimarum valle »[158], ac nos nostraque omnia patrocinio eius fidentes concredamus. Ipsa Mater nostra exstitit, cum Divinus Redemptor sui ipsius sacrificium perageret; atque adeo, hoc quoque titulo, eius nos filii sumus. Omnes nos ipsa virtutes docet; nobisque suum porrigit Filium, unaque cum eo cuncta, quibus indigemus, auxilia, quandoquidem Deus « totum nos habere voluit per Mariam »[159].

Per liturgicum hoc iter, quod denuo singulis annis nobis patet Ecclesiae opera, sanctitatis effectrice, permoti, ac subsidiis exemplisque roborati sanctorum coelitum, im-

---

155 *Missale Rom.*, Collecta Missae S. Ioan. Damascen.
156 S. Bern., *Sermo II in festo omnium Sanct.*
157 Luc., I, 28.
158 « Salve Regina ».
159 S. Bern., *In Nativ. B. M. V.*, 7.

primisque immaculatae Virginis Mariae, « accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, adspersi corda a conscientia mala et abluti corpus aqua munda »[160], ad « Sacerdotem Magnum »[161], ut cum eo vivamus et consentiamus, ac possimus per ipsum penetrare « usque ad interiora velaminis »[162], ibique caelestem per omne aevum honorare Patrem.

Talis est sacrae Liturgiae natura et ratio; ea nempe ad Sacrificium pertinet, ad Sacramenta, ad Deoque tribuendas laudes; atque itidem spectat ad nostrorum animorum cum Christo coniunctionem et ad eorum sanctimoniam per Divinum Redemptorem adipiscendam, ut Christus honoretur, ac per ipsum et in ipso Sanctissima Trinitas: *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.*

IV

Quo facilius errores traiectionesque veritatis, de quibus supra verba fecimus, ab Ecclesia arceantur, et quo tutioribus normis ducti christifideles queant liturgicum apostolatum, uberibus cum fructibus, ad rem deducere, opportunum putamus, Venerabiles Fratres, aliquid adicere, quod propositam doctrinam ad usum adiungat.

Cum de germana sinceraque pietate egimus, asseveratum a Nobis est, inter sacram Liturgiam ceterasque religionis actiones — si modo eaedem recto ordine contineantur ad rectumque propositum spectent — veram repugnantiam interesse non posse; immo quaedam esse pietatis exercitia, quae Ecclesia clero religiosisque sodalibus summopere suadeat.

Iamvero ab huiusmodi exercitiis christianum quoque populum non alienum esse volumus. Haec autem sunt, ut

160 *Hebr.*, X, 22.
161 *Ibidem*, X, 21.
162 *Ibidem*, VI, 19.

praecipua tantum attingamus, spiritualium rerum meditatio, diligens sui ipsius recognitio ac censura, sacri secessus aeternis commentandis rebus instituti, piae ad Eucharistica tabernacula salutationes, ac peculiares illae preces supplicationesque in honorem Beatae Virginis Mariae habitae, in quibus, ut omnes norunt, Mariale excellit Rosarium [163].

Multiplicibus hisce pietatis formis Spiritus Sancti afflatus et actio non adesse non possunt; eo enim spectant, ut animos nostros, etsi varia ratione, ad Deum convertant ac dirigant, ut eos a peccatis expient ad virtutemque excitent assequendam, ut denique ad sincerae pietatis studium salutariter instimulent, cum eos ad aeternas meditandas veritates assuescant, et ad mysteria contemplanda divinae humanaeque Christi naturae aptiores reddant. Ac praeterea, cum impensius in christifidelibus spiritualem vitam alant, eos ad publica participanda sacra uberioribus cum fructibus inducunt, atque a periculo prohibent, quominus liturgicae preces in inanes ritus dilabantur.

Ne desistatis igitur pro pastorali diligentia vestra, Venerabiles Fratres, eiusmodi pietatis exercitia commendare ac fovere, ex quibus procul dubio populo vobis credito salutiferi non poterunt non oriri fructus. Idque potissimum ne permittatis — quod nonnulli profitentur, vel renovandae Liturgiae specie decepti, vel effutientes liturgicos dumtaxat ritus efficacia dignitateque pollere — ut templa nempe per horas, publicis sacris non destinatas, occlusa permaneant, quemadmodum in quibusdam regionibus iam evenit; ut Augusti Sacramenti adoratio ac piae ad Eucharistica tabernacula salutationes neglegantur; utque admissorum confessio, quae pietatis tantum causa peragatur, dissuadeatur; ac cultus Deiparae Virginis, qui ex sanctorum virorum sententia index est « praedestinationis », in iuvenili praesertim aetate ita posthabeatur, ut pedetemptim deferveat at-

---

[163] Cf. *C. I. C.*, can. 125.

que languescat. Istiusmodi agendi rationes venenati sunt fructus, christianae pietati detrimentosi quam maxime, qui ex infectis sanae arboris ramis oriuntur; succidendi igitur sunt, ut vitalis arboris sucus suaves queat solummodo optimosque alere fructus.

Quia vero opiniones, quae de frequentiore admissorum confessione a nonnullis manifestantur, a Spiritu Christi eiusque intaminatae Sponsae sunt prorsus alienae vitaeque spirituali reapse funestae, ea in memoriam revocamus, quae hac super causa in Encyclicis Litteris *Mystici Corporis* dolenti animo conscripsimus; atque iterum iterumque instamus ut, quae ibi gravissimis verbis exposuimus, ea gregibus vestris imprimisque sacerdotii candidatis iuvenique clero, serio meditanda ac docili animo exsequenda proponatis.

Peculiari autem modo contendite, ut sacrum secessum menstruum, ac spirituales illas exercitationes, pietatis excolendae causa per statos dies susceptas, quam plurimi participent non modo ex clero, sed ex laicorum etiam ordine, atque ex iis praesertim, qui in religiosa sodalicia, vel in Actionis Catholicae agmina sint adsciti. Ut iam supra diximus, spirituales eiusmodi exercitationes valde utiles, immo etiam necessariae sunt ad sinceram pietatem animis instillandam, ad eosdemque ita sanctitate morum conformandos, ut ex sacra Liturgia efficaciora possint uberioraque educere beneficia.

Ad diversas vero rationes quod attinet, quibus eaedem fieri solent, omnibus exploratum perspectumque sit in terrestri Ecclesia, haud secus ac in caelesti, mansiones multas esse [164]; atque asceticam disciplinam peculiare alicuius arbitrium esse non posse. Unus Spiritus est, qui tamen « ubi vult spirat » [165]; ac per varia dona variaque itinera animos, ab se collustratos, ad sanctimoniam assequendam dirigit. Eorum autem libertas supernaque in iisdem Spiritus San-

164 Cf. Ioan., XIV, 2.
165 Ioan., III, 8.

cti actio res sacrosancta esto, quam nemini quovis titulo liceat perturbare vel proculcare.

Id tamen perspicuum est, spiritualia eiusmodi exercitia, quae Sancti Ignatii ratione ac norma peragantur, ob miram suam efficacitatem, a Decessoribus Nostris plene probata vehementerque commendata fuisse. Et Nos quoque pari ratione probavimus ac commendavimus; quod quidem in praesens libenter iteramus.

Verumtamen oportet omnino afflatus ille, quo quisque ducatur ad peculiaria peragenda pietatis exercitia, a Patre luminum oriatur, ex quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit[166]; cuius quidem rei index profecto efficacitas erit, qua haec exercitia efficere poterunt, ut divinus cultus cotidie magis adametur ac latius promoveatur, utque christifideles impensiore desiderio compellantur ad Sacramenta rite participanda et ad omnes res sacras debito obsequio debitoque honore prosequendas. Quodsi contra, divini cultus principiis ac normis impedimenta praebeant, vel iisdem obstent atque officiant, tum procul dubio existimandum est eadem non recto consilio, non prudenti studio ordinari ac dirigi.

Alia praeterea pietatis exercitia habentur, quae, quamvis ad sacram Liturgiam districto iure non pertineant, peculiari tamen momento dignitateque pollent, ita ut in liturgicum ordinem quodammodo inserta censeantur, et ab hac Apostolica Sede sacrorumque Antistitibus etiam atque etiam comprobata sint ac dilaudata. Quorum in numerum supplicationes referuntur, quae vel per mensem Maium ad Deiparam Virginem, vel per Iunium mensem ad Sacratissimum Cor Iesu admoveri solent, itemque novendiales vel triduanae preces, ac Iesu Christi ad Calvariam iter per stationes recolitum, nec non cetera eiusmodi.

Haec pietatis opera, quoniam christianum excitant populum tum ad Paenitentiae Sacramentum adsidue frequen-

---

[166] Cf. Iac., I, 17.

tandum et ad Eucharisticum rite pieque participandum Sacrificium divinamque Mensam, tum ad Redemptionis nostrae mysteria meditanda et ad praeclara sanctorum caelitum imitanda exempla, idcirco, salutari non sine fructu, liturgici cultus nos participes efficiunt.

Quamobrem perniciosam rem egerit ac fallacia plenam, qui sibi temerario ausu sumpserit haec omnia pietatis exercitia reformare, eaque ad liturgicorum rituum rationes ac modos solummodo reducere. Necesse tamen est ut sacrae Liturgiae afflatus eiusque praecepta ita in eadem valeant salubriter, ut nihil prorsus inducatur, quod ineptum sit, vel Dei domus indignum decore, vel denique sacris sit peragendis detrimentosum, sanaeque pietati obstet.

Curate igitur, Venerabiles Fratres, ut haec germana sinceraque pietas vestros sub oculos cotidie magis adaugeatur, atque uberius usque florescat. Idque potissimum ne gravemini menti omnium inculcare, christianam nempe vitam non in multis variisque precibus ac pietatis exercitiis consistere, sed in eo potius, quod haec ad spiritualem christifidelium profectum, ideoque ad totius Ecclesiae incrementum reapse conferant. Siquidem Aeternus Pater « elegit non in ipso (Christo), ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius »[167]. Precationes igitur nostrae pietatisque exercitationes omnes eo contendant oportet, ut spirituales vires nostras ad supremum eiusmodi nobilissimumque exsequendum propositum convertant ac dirigant.

Vos autem enixe adhortamur, Venerabiles Fratres, ut erroribus ac fallaciis remotis, iisque omnibus prohibitis, quae veritatem rectumque ordinem egrediantur, ea incepta provehatis, quae altiorem populo impertiant sacrae Liturgiae cognitionem; ita quidem ut ipse aptius queat atque facilius divinos ritus eo animo participare, quo christianos addeceat.

---

[167] *Ephes.*, I, 4.

Imprimisque enitendum est, ut omnes debito obsequio debitaque fide decretis obtemperent, quae vel Tridentina Synodus, vel Romani Pontifices ac Sacrum Consilium tutandis ritibus praepositum ediderint, et quae liturgici libri ad externam publici cultus actionem quod attineat, statuerint.

In omnibus Liturgiae rebus tria haec potissimum ornamenta splendescere debent, de quibus Decessor Noster loquitur Pius X: sanctitudo nempe, quae a novis profano afflatu abhorreat; rectae imagines ac formae, quibus genuinae optimaeque artes inserviant ac famulentur: universitatis denique ratio, quae — legitimis servatis peculiarium regionum moribus ac consuetudinibus — catholicam Ecclesiae unitatem patefaciat[168].

Cupimus autem etiam atque etiam commendare sacrarum aedium sacrorumque altarium decus. Divina illa sententia se quisque sentiat animatum: « Zelus domus tuae comedit me »[169]; ac pro viribus contendat, ut omnia, sive in sacris aedificiis, sive in vestibus ac liturgica supellectili, etsi non divitiarum copia splendoreque niteant, munda sint tamen atque apta, cum omnia sint Divinae Maiestati dicata. Quodsi iam supra non rectam eorum rationem reprobavimus, qui, specie redintegrandae antiquitatis, sacras imagines ex templis prohibere velint, at heic officio Nostro consentaneum putamus haud bene conformatam eorum reprehendere pietatem, qui in aedibus divino cultui destinatis ac vel in ipsis altaribus multiplicia simulacra et effigies, nulla adhibita iusta causa, venerationi proponant, qui reliquias legitima auctoritate non recognitas ostentent, qui denique peculiares parvique momenti res urgeant, dum praecipuas ac necessarias neglegant, atque adeo religionem in deridiculum vertant, eiusque cultus gravitatem minuant.

---

[168] Cf. Litt. Apost., Motu Proprio. *Tra le sollecitudini*, d. d. XXII Nov. a. MCMIII.

[169] *Psalm. LXVIII*, 10; Ioan., II, 17.

In memoria quoque decretum illud revocamus « de novis cultus seu devotionis formis non introducendis » [170]; quod quidem, ut religiose observetur, vigilantiae vestrae commendamus.

Ad res musicas quod attinet, certae preclaraeque normae in Liturgia religiose serventur, quas Apostolica haec Sedes edidit. Gregoriani concentus, quos Romana Ecclesia ut rem propriam habet, utpote antiquitus a maioribus acceptam ac per saeculorum decursum sub impensam suam tutelam custoditam, quosque christifidelibus ut rem itidem propriam proponit, atque etiam in nonnullis Liturgiae partibus omnino praescribit [171], non modo sacrorum Mysteriorum celebrationem magis decoram magisque sollemnem efficiunt, sed summopere etiam conferunt ad adstantium fidem pietatemque adaugendam. Quam ad rem Decessores Nostri imm. mem. Pius X et Pius XI decrevere — idque Nos libenter auctoritate Nostra confirmamus — ut in sacris Seminariis religiosisque Institutis Gregorianus cantus diligenter studioseque coleretur, utque, praecipua saltem apud templa, veteres cantorum Scholae restituerentur; quod quidem haud paucis in locis felici cum exitu factum est [172].

Praeterea « quo actuosius fideles divinum cultum participent, cantus Gregorianus, in iis quae ad populum spectant, in usum populi restituatur. Ac revera pernecesse est ut fideles, non tamquam extranei vel muti spectatores, sed penitus Liturgiae pulchritudine affecti, sic caerimoniis sacris intersint... ut vocem suam sacerdotis vel Scholae vocibus, ad praescriptas normas, alternent; quod si auspicato contingat, iam non illud eveniet ut populus aut nequaquam, aut levi quadam demissoque murmure communibus precibus liturgica vulgarive linguae propositis, vix

---

170 Suprema S. Congr. S. Officii: Decretum d. d. XXVI Maii MCMXXXVII.

171 Cf. Pius X, Litt. Apost. Motu Proprio. *Tra le sollecitudini.*

172 Cf. Pius X, *loc. cit.;* Pius XI, Const. *Divini cultus,* II, V.

respondeat »[173]. Coetus, qui intento animo altaris Sacrificio interest, in quo Servator noster una cum filiis suis, sacro cruore redemptis, immensae caritatis suae epithalamium canit, silere procul dubio non potest, quandoquidem « cantare amantis est »[174], et quemadmodum iam antiquitus in proverbium venit, « qui bene cantat, bis orat ». Itaque militans Ecclesia, populus nempe una cum Clero, triumphantis Ecclesiae canticis Angelorumque choris suam inserit vocem, omnesque simul magnificum aeternumque Sanctissimae Trinitati concinunt laudis hymnum, secundum illud: « cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur »[175].

Haud tamen asseverari potest hodiernae musices modos atque concentus ex catholicae religionis cultu omnino removendos esse. Quin immo, si nihil iidem habeant, quod profanum sapiat, vel loci ac liturgicae actionis sanctitatem dedeceat, neque ex inani quodam studio miri atque insoliti oriantur, tum oportet profecto eis templa nostra pateant, cum ad sacrorum rituum splendorem mentesque ad altiora elevandas simulque ad veram animi refovendam pietatem haud parum conferre queant.

Vos adhortamur etiam, Venerabiles Fratres, ut popularis ad religionem pertinens cantus cura vestra promoveatur; atque ea servata, quae par est, dignitate, diligenter effectus detur, cum christianorum multitudinis fidem pietatemque facile exacuat atque incendat. Concordes amplissimique plebis nostrae concentus caelum ascendant veluti resonantis maris fragor[176], atque cor unum et animam unam[177] canora elataque voce significent, ut fratres addecet eiusdemque Patris filios.

Quod autem de rebus musicis diximus, idem fere de ceteris nobilibus artibus dicendum est, ac praesertim de

---

173 Pius XI Const. *Divini cultus*, IX.
174 S. Augustin., Serm. CCCXXXVI, n. 1.
175 *Missale Rom.*, Praefatio.
176 Cf. S. Ambros., *Hexameron*, III, 5, 23.
177 Cf. *Act.*, IV, 32.

architecturae ac de sculpturae picturaeque artibus. Recentes imagines ac formae, ad materiam aptiores, ex qua hodie conficiuntur, non sunt generali modo atque ex praeiudicata opinione spernendae ac reiciendae; sed rationibus illis aequabiliter ac recte compositis, quae neque ad nudam contendant rerum imitationem, nec ad nimium « symbolismum », quem vocant, ac necessitatibus potius spectatis christianae communitatis, quam peculiari artificum iudicio atque ingenio cuiusque suo, oportet omnino eam nostrorum temporum artem liberum habere campum, quae sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore inserviat; ita quidem ut eadem ad mirabilem illum gloriae concentum, quem summi viri per revoluta iam saecula catholicae fidei cecinere, suam queat adiungere vocem. Facere tamen non possumus quin, pro officii Nostri conscientia, eas imagines ac formas, recens a nonnullis inductas, deploremus ac reprobemus, quae sanae artis deformationes depravationesque videantur, quaeque etiam nonnumquam decori, modestiae ac pietati christianae aperte repugnent, sensumque vere religiosum misere offendant; hae quidem a nostris templis arcendae prorsus atque expellendae sunt, ut « generatim quidquid a sanctitate loci absonum sit » [178].

Pontificiis normis ac decretis insistentes, curate diligenter, Venerabiles Fratres, ut eorum artificum mentem animumque collustretis ac dirigatis, quibus hodie concreditur munus, tot templa, belli vi diruta, vel penitus deleta, restituendi vel rursus aedificandi; queant ipsi ac velint ex divina religione modos rationesque haurire, quae aptius ac dignius cultus necessitatibus respondeant; ita enim feliciter eveniet, ut humanae artes, quasi a caelo datae, serena luce splendeant, ad civilem hominum cultum summopere pertineant, et ad Dei gloriam conferant animorumque salutem. Siquidem ingenuae artes tum reapse ad reli-

---

178 *C. I. C.*, can. 1178.

gionem conformantur, cum « quasi ancillae nobilissimae divino cultui inserviant »[179].

At est aliquid etiam maiorisque momenti, Venerabiles Fratres, quod peculiari modo sedulitati studioque vestro apostolico commendemus. Quidquid ad externum religionis cultum attinet suam profecto habet gravitatem; attamen pernecesse potissimum est christianos Liturgiae vitam vivere, eiusque supernum alere ac refovere afflatum.

Alacriter igitur consulite ut adolescens clerus, cum ad asceticas, theologicas, iuridicas ac pastorales disciplinas instituitur, ita etiam concordi ratione conformetur, ut sacras caerimonias intellegat, earum maiestatem pulchritudinemque percipiat, easque normas diligenter addiscat, quas rubricas vocant. Idque non modo culturae causa, non ea solummodo ratione, ut debito ordine, decore dignitateque sacrorum alumnus religionis ritus peragere aliquando valeat, sed ea praesertim, ut arctissima cum Christo sacerdote coniunctione devinctus educetur ac sanctus fiat sanctitatis administer.

Eo quoque omni ope contendite, ut iis rationibus atque adiumentis, quae prudentia vestra ad rem aptiora iudicaverit, clerus populusque mentium animorumque unitate inter se copulentur; atque adeo christiana plebs Liturgiam tam actuose participet, ut haec reapse sacra actio fiat, in qua sacerdos, qui praesertim in sibi credita paroecia animorum curae incumbit, cum populari coetu consociatus, debitum tribuat aeterno Numini cultum.

Ad hoc aptius assequendum haud parum profecto conferet probos beneque excultos pueros ex quavis civium classe accurate seligere, qui sponte libenterque accedentes, rite, sedulo studioseque altari inserviant; quod quidem munus a parentibus altioris etiam ordinis altiorisve culturae magni aestimari debet. Quodsi opportune hi iuvenes excolantur, ac vigilanti sacerdotum cura ad creditum sibi ministerium statutis horis reverenter constanterque

[179] Pius XI, Const. *Divini cultus.*

obeundum excitentur, tum facile eveniet ut novi ex iisdem sacerdotii candidati oriantur; neque id misere continget, quod Clerus interdum in catholicorum etiam regionibus lamentatur, ut ii nempe omnino desiderentur, qui sibi in augusto conficiendo Sacrificio respondeant ac famulentur.

Studiosissima navitate vestra id imprimis efficite, ut christifideles omnes Eucharistico intersint Sacrificio, quo autem uberiores indehauriant salutiferos fructus, eos sedulo admonete ut legitimis modis omnibus, de quibus supra scripsimus, pie illud participent. Augustum altaris Sacrificium divini cultus praecipua actio est; oportet igitur christianae etiam pietatis sit fons ac veluti centrum. Apostolico autem studio vestro numquam vos satisfecisse reputate, nisi cum filios vestros frequentissimos videritis ad caeleste convivium accedere, quod est sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis [180].

Ut vero supernis hisce muneribus ditioribus usque christianus populus potiri valeat, de pietatis thesauris, quos sacra continet Liturgia, eum docete diligenter per opportunas conciones, ac praesertim per dissertationes et acroases certis temporibus indictas, per peculiares coetus studii causa in hebdomadam productos ac per cetera huiusmodi. Qua in re vobis ii profecto praesto erunt, qui in Actionis Catholicae ordinibus militant, cum semper parati sint adiutricem Hierarchiae praestare operam ad Iesu Christi Regnum provehendum.

At prorsus opus est hisce omnibus in rebus intento vigiletis animo, ne in agrum dominicum veniat inimicus et superseminet zizania in medio tritici [181]; hoc est ne irrepant in greges vestros subtiles illi perniciosique errores, qui falsus *mysticismus* ac noxius *quietismus* audiunt — qui quidem errores iam a Nobis, ut nostis, reprobati sunt [182] — itemque ne animos seducat periculosus quidam

---

180 Cf. S. Augustin., *Tract. XXVI in Ioan.*, 13.
181 Cf. Matth., XIII, 24-25.
182 Litt. Encycl. *Mystici Corporis.*

humanismus, neve fallax doctrina inducatur ipsam perturbans catholicae fidei notionem, neve denique nimium restituendae in liturgicis rebus antiquitatis studium. Parique diligentia curate, ne falsa commenta eorum propagentur, qui perperam reputent ac doceant humanam Christi naturam clarificatam reapse ac semper praesentia sua in « iustificatis » habitare, ac vel etiam unam ac numero eamdem, ut dicitur, gratiam coniungere Christum cum Mystici eius Corporis membris.

Numquam vobis ob emergentes difficultates animus desit, numquam pastoralis decidat sollertia vestra. « Canite tuba in Sion... vocate coetum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes,congregate parvulos et sugentes ubera »[183], omnique ope efficite ut ubique gentium christifidelibus templa stipentur et arae, qui quidem utpote viva membra divino suo Capiti copulata, Sacramentorum gratiis reficiantur, et una cum eo et per eum augustum celebrent Sacrificium, Aeternoque Patris debitas laudes tribuant.

* * *

Haec habebamus, Venerabiles Fratres, quae vobis scriberemus; idque facimus eo consilio ducti, ut Nostri vestrique filii satius intellegant plurisque faciant pretiosissimum thesaurum, qui in sacra Liturgia continetur: Eucharisticum nempe Sacrificium, Crucis Sacrificium repraesentans et renovans; Sacramenta, quae divinae gratiae divinaeque vitae rivuli sunt; ac laudis hymnum, quem terra caelumque cotidie ad Deum extollunt.

Nobis autem fore sperare licet, ut haec hortamenta Nostra segnes ac renitentes moveant non modo ad impensius ac rectius Liturgiae studium, sed ad eius etiam supernum afflatum in actione vitae refovendum, secundum illud Apostoli: « Spiritum nolite extinguere »[184].

---

[183] Ioel, II, 15-16.
[184] *I Thess.*, V, 19.

Quos vero quaedam immoderatio ad res interdum dicendas vel faciendas compellit, quas Nos dolentes probare non possumus, eis S. Pauli monita iteramus: « Omnia autem probate; quod bonum est, tenete »[185]; eosque paterno admonemus animo ut suam velint cogitandi agendique rationem ex christiana doctrina sumere, quae praeceptis conformatur intaminatae Iesu Christi Sponsae Sanctorumque Matris.

Illud autem in omnium memoriam revocamus, oportere scilicet omnino generosa fidelique voluntate sacris obtemperare Pastoribus, qui quidem iure pollent officioque tenentur totam, imprimisque spiritualem, moderandi Ecclesiae vitam: « Obedite praepositis vestris et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes »[186].

Deus, quem colimus, et qui « non... est dissensionis Deus, sed pacis »[187], benignus nobis omnibus concedat ut, una mente unoque animo, hoc in terrestri exsilio sacram participemus Liturgiam, quae sit veluti praeparatio quaedam atque auspicium caelestis illius Liturgiae, qua, ut confidimus, una cum summa Dei Genitrice dulcissimaque Matre nostra, aliquando concinemus: « Sedenti in throno et Agno: benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum »[188].

Qua laetissima spe freti, vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, ac gregibus vigilantiae vestrae concreditis, divinorum munerum auspicem, peculiarisque benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.

Datum ex Arce Gandulphi, prope Romam, die XX mensis Novembris, anno MDCCCCXXXXVII. Pontificatus Nostri nono.

---

185 *Ibidem*, V, 21.
186 *Hebr.*, XIII, 17.
187 *I Cor.* XIV, 33.
188 *Apoc.*, V, 13.

18 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Allocutio

Ad E.mos PP. Cardinales, in festo S. Eugenii I Pp., Beatissimo Patri fausta ominantes.

(*AAS.* xxxix [15 iul. 1947] p. 258).

Ancora una volta la ricorrenza della festa del Nostro santo Predecessore e celeste Patrono Ci offre l'occasione d'intrattenerCi alquanto con voi, Venerabili Fratelli, intorno alle grandi questioni, ai formidabili eventi dell'ora presente, ai pericoli che minacciano il mondo intero. Questa effusione della Nostra mente e del Nostro cuore e la corrispondenza di pensieri e di sentimenti, di cui il vostro venerato Decano Ci ha dato così grata testimonianza, siano per ciascuno di Voi, Nostri intimi consiglieri e fedeli collaboratori, e per Noi stessi, di impulso a continuare con rinnovata fiducia, con raddoppiata energia, con serena dedizione, quell'opera di apostolato, che oggi più che mai grava su tutti gli operai della vigna del Signore, su tutti i ministri del Santuario.

L'anno 1947! Quale sarà il giudizio che ne daranno le età venture? Esso è quasi giunto alla metà della sua corsa, e fino ad ora, fino a questo momento in cui vi parliamo, ha forse portato al mondo altra cosa che l'apparentemente inconciliabile antitesi fra la terribile alluvione dei problemi da risolvere, in cui affonda e si impiglia, e la umiliante povertà delle loro soluzioni?

Il verdetto della storia corrisponderà ai frutti che gli avvenimenti e le deliberazioni produrranno nei mesi dell'anno che restano ancora da percorrere.

Le future generazioni lo benediranno o lo malediranno, secondo che esso rappresenterà per la grande fa-

miglia umana un punto di partenza verso il risvegliarsi del sentimento di fraternità, che si attui in un ordinamento di diritto e di pace degno dell'uomo, a tutti utile e da tutti tollerabile, o invece un progressivo decadimento in quelle paludi stagnanti della discordia e della violenza, dal cui fango non possono esalare che i miasmi metifici e deleteri di nuove e incalcolabili calamità.

La sicurezza

Le ferite cagionate dalla guerra non sono ancora cicatrizzate; alcune anzi si sono piuttosto approfondite e irritate.

Si è mai tanto parlato di sicurezza generale, che avrebbe dovuto essere il frutto della vittoria? Ma dove è? Sono forse svanite, o si sono almeno attenuate, l'impressione della incertezza, la paura della guerra? Se si considerano le cose nella loro realtà, occorre riconoscere che non è possibile, anche col miglior buon volere, di stabilire di punto in bianco quella sicurezza, a cui la umanità così ardentemente aspira. Ma allora, deh! non si prendano quelle disposizioni di dopoguerra e di pace, le quali nulla hanno che vedere con la punizione dei criminali di guerra, ma suscitano le più amare delusioni specialmente in coloro che nessuna responsabilità portano per le colpe di passati regimi, da cui anzi furono perseguitati ed oppressi! Oppure, si pensa forse di provvedere alla edificazione della sicurezza generale ,accumulando nelle sue fondamenta vaste rovine, non solo materiali, ma anche di umanità vivente? Come potrebbe sentirsi sicura una Europa, le cui membra fossero in preda alla disperazione e allo sconforto, oscure e lugubri potenze di disgregazione, di cui facilmente abuseranno i sobillatori di domani, come fecero quelli di ieri?

Noi conosciamo pur troppo l'estensione e la gravità degli orrori senza nome, con cui un vinto sistema coprì di

desolazione la faccia dell'Europa, nè vogliamo diminuire il cumulo delle sue colpe. Ma come potrebbero i popoli vincitori adottare alla lor volta o tollerare i metodi di odio e di violenza, con cui quel sistema visse ed agì, adoperare le armi, il cui uso in altre mani sollevò la loro giusta indignazione? E quale uomo sensato vorrebbe mai cercare nella rovina e nella miseria del vicino una garanzia per la propria sicurezza e stabilità?

Perciò, ancora una volta, Noi vorremmo esortare e ammonire i popoli: La sicurezza, in quanto essa è conseguibile quaggiù, non può avere altra solida base che la sanità fisica e morale del popolo, il retto ordine pubblico all'interno e, all'esterno, le normali relazioni di buon vicinato. Ora tali relazioni normali, anche dopo la seconda guerra mondiale, è tuttora possibile di riannodarle. Possano i reggitori degli Stati non lasciarsi sfuggire questa occasione; essa potrebbe (Dio non voglia!) essere la ultima.

La prosperità

Si è parlato tanto anche di una universale prosperità, che avrebbe egualmente dovuto maturarsi come frrutto della vittoria. Ove è essa? Senza dubbio, vi sono Paesi in cui le macchine girano con rapido moto e lavorano senza interruzione a pieno rendimento. Produzione, soprapproduzione! E' la chiave d'oro di Sesamo, il segreto per cancellare fino agli ultimi vestigi i misfatti della guerra, per colmare tutte le voragini che essa ha scavate. Ma la prosperità delle nazioni non può essere salda e sicura, se non è la sorte comune di tutte. Perciò non è escluso che la inerzia e la impedita possibilità di scambi, a cui si vedessero costretti alcuni popoli, portino con sè, in tempo non lontano, crisi economiche e disoccupazione anche negli altri.

La libertà

Si è tanto parlato altresì dell'ordinamento della libertà, che sarebbe un altro frutto squisito della vittoria, libertà trionfante sull'arbitrio e sulla violenza. Ma essa non può fiorire che là, ove il diritto e la legge imperano ed assicurano efficacemente il rispetto della dignità così dei singoli come dei popoli. Intanto il mondo è ancora ad attendere, a chiedere che il diritto e la legge creino stabili condizioni per gli uomini e per le società; intanto milioni di esseri umani continuano a vivere sotto l'oppressione e l'arbitrio. Nulla è per loro sicuro: nè il letto, nè i beni, nè la libertà, nè l'onore; e così si viene spegnendo nel loro cuore l'ultimo raggio di serenità, l'ultima scintilla di ardore.

Nel nostro Messaggio natalizio del 1944 Noi, rivolgendoCi ad un mondo tutto entusiasta della democrazia e bramoso di esserne il campione e il propagatore, Ci studiammo di esporre i sommi postulati morali di un retto e sano ordinamento democratico. Oggi non pochi temono che la fiducia in quell'ordinamento rimanga sminuita dall'urtante contrasto fra la « democrazia a parole » e la concreta realtà.

Se Noi leviamo in questo momento la Nostra voce, non è per scoraggiare le molte buone volontà, che si sono già messe all'opera, o per deprezzare ciò che è stato finora ottenuto, ma soltanto per il desiderio di contribuire, in quanto è da Noi, a un miglioramento dello stato presente. Non è ancora troppo tardi perchè i popoli della terra possano con un comune e leale sforzo attuare le condizioni indispensabili così alla vera sicurezza, alla generale prosperità, o almeno allo stabilimento di un modo di vivere tollerabile, come ad un beneficio ordinamento della libertà.

La gioventù

Un interesse primordiale rende necessario questo comune sforzo: il bene della gioventù e della famiglia.

La Chiesa, tenera madre, non è la sola a temere per la sorte della gioventù. In alcuni Paesi, le nuove generazioni soffrono, fin dall'adolescenza, fin dall'infanzia, di languore, di anemia fisica e spirituale, cagionata dalla povertà materiale con tutto il suo corteggio di miseria, dalla insufficienza od anche dall'assenza completa della vita di famiglia, dalla mancanza di educazione e d'istruzione, o finalmente forse dai lunghi anni di prigionia o di esilio. Nei popoli, invece, che vivono in condizioni migliori, pericoli di altro genere — derivanti spesso da eccesso di agiatezza e di piacere — minacciano — e quanto più tristemente! — la salute fisica e morale del giovane. Ma ecco ciò che è più grave ancora e rende il male più difficilmente guaribile: la crisi generale, prolungandosi indefinitamente, coi turbamenti che essa provoca, con l'incertezza del domani che fatalmente apporta, semina nel cuore della crescente gioventù la sfiducia verso gli anziani, che fa responsabili di tutti i mali di cui soffre, lo scetticismo a riguardo di tutti i principî e di tutti i valori, che questi ultimi hanno tanto esaltati e le hanno tramandati.

Vi è serio pericolo che numerosi giovani, intossicati da questi fermenti malsani, finiscono col cadere in un assoluto nichilismo. Guai ai popoli il giorno in cui nella anima della gioventù viene ad estinguersi il fuoco sacro della fede, dell'ideale, della prontezza al sacrificio, dello spirito di dedizione! Per poco che duri una tale condizione di cose, quale potrà divenire il loro destino?

La famiglia

In simile stato di precarietà e d'incertezza che tende a perpetuarsi, quale può essere anche la sorte della famiglia, di questo naturale vivaio e di questa scuola, ove cresce e si prepara l'uomo del domani? Strazianti notizie Ci giungono dai territori più provati sulla miseria della famiglia, della giovane, della donna. Tragica soprattutto è la condizione di quei focolari — se si possono ancora chiamar tali quei gruppi erranti —, su cui la fedeltà degli sposi alla legge di Dio aveva attirato la benedizione di una ricca corona di figli. Dopo aver spesso pagato, più che altri, il loro tributo di sangue durante la guerra, debbono oggi più particolarmente soffrire le conseguenze della generale mancanza di abitazioni e di viveri. Ora non certo Iddio manca alla sua parola, come insinuano i sogghigni degli egoisti e dei gaudenti; ma la incomprensione, la durezza, il malvolere altrui rendono la vita pesante e quasi insopportabile agli eroi del dovere coniugale. Soltanto, infatti, un vero eroismo, sostenuto dalla grazia divina, può mantenere nel cuore dei giovani sposi il desiderio e la letizia di una numerosa figliolanza. Ma quale umiliazione è per il mondo di esser caduto così in basso, in uno stato sociale così contrario alla natura!

Non temete!

Qual'è però la realtà? Chi oserebbe affermare che i due anni trascorsi dopo la cessazione delle ostilità abbiano segnato notevoli passi in avanti nel sentiero della restaurazione e del progresso sociale?

Nel veder succedersi le infruttuose conferenze, allungarsi la serie delle trattative interrotte o differite, i popoli, amaramente delusi nel loro desiderio di ordine, di pace

e di ricostruzione, finiscono col perdere fiducia e pazienza.

Noi non vogliamo muovere accuse. Dinanzi agli occhi abbiamo un più alto fine che di portare un giudizio sul passato; Noi tendiamo a prevenire nuovi e più gravi mali in un prossimo o in un remoto avvenire.

In tempi di profondo perturbamento degli spiriti e di sconcertanti avvenimenti, Noi riponiamo tutta la Nostra fiducia in Dio, Padre del Signor nostro Gesù Cristo e Signore dei dominanti [1] e, dopo Dio, nei fedeli di tutto il mondo. Perciò a questi Noi rivolgiamo le parole che il divino Maestro ripeteva ai suoi discepoli: Non temete!

Se vi è oggi qualche cosa che deve far paura, è la paura stessa. Non vi è peggiore consigliera, specialmente nelle congiunture presenti. Essa non vale che a dar le vertigini, ad accecare, ad allontanare dalla retta e sicura via della verità e della giustizia.

Falsi profeti senza scrupoli diffondono con l'astuzia e con la violenza concezioni del mondo e dello Stato contrarie all'ordine naturale, anticristiane ed atee, e come tali condannate dalla Chiesa, particolarmente nell'Enciclica *Quadragesimo anno* del Nostro grande Predecessore Pio XI. Nè le difficoltà del momento, nè il fuoco incrociato di quelle propagande debbono intimorirvi o traviarvi.

La paura, vergognosa di se stessa, eccelle nel travestirsi. Così, in alcuni si vela con l'ingannevole veste di un asserito amore verso gli oppressi; come se i popoli sofferenti potessero trarre vantaggio dalle falsità e dalle ingiustizie, dalla tattica demagogica e da promesse che mai non potranno essere mantenute!

In altri, invece, essa si copre con le apparenze della prudenza cristiana, e con questo pretesto resta muta, quando il dovere esigerebbe di dire ai ricchi e ai potenti il «Non licet» intrepido, di ammonirli apertamente: Non è lecito, per obbedire alla brama di lucro o di dominio, di allontanarsi dalla linea inflessibile dei principî cristiani,

fondamento della vita sociale e politica, che la Chiesa ripetutamente e con tutta chiarezza ha ricordato agli uomini del nostro tempo. A voi soprattutto è rivolto l'invito di collaborare senza riserve all'avvento di un pubblico ordinamento, che attui, in un grado il più possibile elevato, una sana economia e la giustizia sociale, di guisa che ai profittatori delle lotte di classe sia tolta la possibilità di adescare i delusi e i diseredati di questo mondo, dipingendo loro la fede cristiana e la Chiesa cattolica sotto l'aspetto non di una alleata, ma di una nemica.

Per disposizione della Provvidenza divina la Chiesa cattolica ha elaborato e promulgato la sua dottrina sociale. Essa indica la via da seguire, e nessun timore di perdere beni o vantaggi temporali, di apparire meno amanti della civiltà moderna, o meno nazionali o meno sociali, potrebbe autorizzare i veri cristiani a deviare, anche di un solo passo, da questo cammino.

La pace

Dinanzi alla triste realtà dei funesti e molteplici contrasti, che così dolorosamente lacerano oggidì il mondo e gli sbarrano il sentiero della pace, sarebbe egualmente colpevole di chiudere gli occhi per non vedere o d'incrociare le braccia per non agire, allegando per scusa che non vi è più nulla da fare. Più nulla da fare? Precisamente quando i cristiani possono opporre a tante esitazioni dissolventi e soffocanti quel valore intrepido, il quale, più che la felice esuberanza di una ricca natura, è la manifestazione di una forza soprannaturale, alimentata dalle virtù teologali della fede, della speranza e dell'amore? In virtù di questa forza, una grande corrente di aria pura passerà attraverso il mondo, dissipando l'atmosfera di panico e di pessimismo che minaccia di contaminarlo; gli occhi dissigillati si apriranno alla chiara visione della verità e della giustizia; gli sviati, di buona fede e di buona

volontà, scopriranno la strada per uscire da uno stato divenuto quasi intollerabile e incamminarsi verso l'adeguamento dei contrasti apparentemente insormontabili. Poichè per coloro che vedono le cose nella luce dell'ordine divino, non vi è dubbio che anche nei più gravi antagonismi di interessi umani e nazionali vi è sempre posto per un pacifico accomodamento.

Non è forse questa la missione del cristiano, del cattolico, nel vortice delle agitazioni sociali e politiche del tempo presente? Ecco appunto la ragione dell'odio che nutrono verso la Chiesa tutti coloro che, vivendo dei dissensi e dei conflitti, hanno a cuore di attizzarli sempre più. Essi sentono quasi per istinto che la Chiesa, stabilita da Dio come rocca di fratellanza e di pace, non può patteggiare con gli idolatri adoratori della violenza brutale, delle lotte esterne o intestine per la egemonia universale.

Questa osservazione dovrebbe esser bastevole per empire voi, cattolici, di santo orgoglio, poichè l'odio, con cui è perseguita, mette in luce la grandezza spirituale e morale della Chiesa e della sua azione per il bene della umanità. Siate consapevoli di tale grandezza! Essa significa missione, dovere, responsabilità. Non invano la Provvidenza divina ha disposto che mai forse più profondamente che adesso si manifesti in tutti i membri della Chiesa sulla terra la coscienza di una forte comune appartenenza allo stesso Corpo mistico. Che se anche lo sforzo delle oscure potenze della decomposizione, della discordia e della distruzione si estende oggi sul mondo intero, tanto più grande ha da essere l'efficacia dell'azione preponderante dei cristiani, delle loro forze di unione di ordine e di pace.

Qual vero cattolico potrebbe pensare di sottrarsi a così urgente dovere? Applicatevi dunque tutti con ardore a tale azione: intrepidi fra i timorosi, credenti fra gli increduli, fiduciosi fra gli scoraggiati, amanti fra gli scettici senz'amore.

L'amore

Il vostro amore è intenso e vasto come il mondo. Noi lo conosciamo per esperienza e possiamo in qualche modo misurarlo dalla ammirabile generosità, con cui il cattolici dei Paesi rimasti prosperi contribuiscono a sollevare i bisogni delle popolazioni più misere. Anzi essi hanno dato incomparabilmente più di quanto le cifre pubblicate in alcuni luoghi lasciano supporre. Alla rinnovata espressione della Nostra gratitudine verso tutti i donatori Noi uniamo anche questa volta la Nostra fervida esortazione: Non s'intiepidisca il vostro amore, ma si dilati a nuove opere. Vi sono ancora tante regioni, dalle quali sale verso il cielo un grido di affanno e d'implorazione. Il cielo ascolta questo grido di angoscia, ma vuole esaudirlo mediante il ministero della vostra carità. La parola di Cristo: « Tutte le volte che avete fatto qualche cosa a uno di questi minimi tra i miei fratelli, l'avrete fatta a me »,[2] si può anche invertire, dicendo egualmente: Il bene che ciascuno di voi ha fatto al prossimo bisognoso, l'ha fatto Cristo. Cristo stesso aiuta in voi e per voi i poveri e i derelitti.

Perciò, nella beatificante certezza che Cristo vive ed opera in ciascuno di noi, diciamo a tutti i Nostri figli e figlie dell'universo:

Resistite fortes in fide! L'avvenire appartiene ai credenti, non agli scettici e ai dubbiosi.

L'avvenire appartiene ai vigorosi, che fermamente sperano e agiscono non ai timidi e agli irresoluti.

L'avvenire appartiene a coloro che amano, non a quelli che odiano.

La missione della Chiesa nel mondo, lungi dall'essere terminata e perenta, va incontro a nuove prove e a nuove imprese.

L'Ufficio a voi affidato dalla Provvidenza in quest'ora cruciale non è di concludere una languida e pusillanime

pace *col* mondo, ma di stabilire *per* il mondo una pace — che l'umanità non può conseguire con le sue proprie forze — dalla misericordia divina sulla povera, dilaniata e martoriata terra, è un dovere che tutti, Pastori e greggi, debbono adempire con ardente fervore, specialmente in questo mese consacrato al Cuore del Redentore divino.

Animati da una fiducia inconcussa nella forza di questa preghiera supplichevole, e in auspicio della sua efficacia, impartiamo con effusione di cuore a voi, Venerabili Fratelli, e a tutti i Nostri diletti figli e figlie sparsi sulla faccia della terra, la Nostra Apostolica Benedizione.

19 - SS. D. N. Pius Pp. XII

MOTU PROPRIO

DE ROTA NUNTIATURAE APOSTOLICAE IN HISPANIA DENUO CONSTITUENDA.

(*AAS.* XXXIX [15 apr. 1947] p. 155)

PIUS PP. XII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolico Hispaniarum Nuntio constat iam a saeculo XVI a Summis Pontificibus singulare privilegium collatum fuisse ecclesiasticas causas cognoscendi et terminandi. Quod pervetustum tribunal per Apostolicam Constitutionem *Administrandae Justitiae*, die 26 Martii 1771 a Clemente Pp. XIV latam, novam ordinationem et nomen nactum est Rotae Nuntiaturae. Quae Rota Apostolicae Nuntiaturae, a civitate plene recognita ac sustentata, iudicibus ex variis catholicae nationis hispanicae provinciis aeque delectis, quorum plures magnam assecuti sunt famam, diu viguit et floruit.

Lamentabilis autem rerum publicarum perturbatio, qua paucis abhinc annis et sollemnis cum Sancta Sede conventio abrupta est, et sacramentalis natura matrimonii denegata et sacra quaeque pessumdata, fecit ut ipsa Rota subverteretur. Quare decessor noster Pius Pp. XI fel. rec. die 21 iunii 1932, Rotam Nuntiaturae Apostolicae in Hispania iure suppressit.

Nunc vero, cum eiusmodi incommoda remota sint atque sacramentalis matrimonii natura iterum agnita, complurium Hispaniae Antistitum nec non publicae rei Moderatorum votis obsecundare cupientes, denuo constituendam censuimus Rotam Nuntiaturae Apostolicae, tribunal vere ecclesiasticum pro causis ecclesiasticis ad tramitem iuris canonici agendis eamque praesentibus litteris constituimus atque sequentes normas vim legis habituras eidem tribuimus, nostri temporis condicionibus opportune accommodatas:

NORMAE A ROTA NUNTIATURAE APOSTOLICAE IN HISPANIA SERVANDAE

Caput I

De constitutione tribunalis

Art. 1. — Rota Nuntiaturae Apostolicae, Matriti constituta, est tribunal collegiale, ordinarium, praesertim ad recipiendas appellationes contra sententias ecclesiasticas in Hispaniae dicione latas.

Art. 2. — Rota constat ex septem Auditoribus, quibus praeest eorumdem Decanus, primus inter pares. Idem vix ac attigerint septuagesimum secundum aetatis annum emeriti evadunt et a munere cessant.

Art. 3. — Auditores sacerdotes sint oportet, civitate

hispani, ex legitimo matrimonio nati, maturae aetatis, laurea doctorali saltem in iure canonico praediti, honestate vitae, prudentia et iuris peritia praeclari.

Art. 4. — Auditores post Decanum ordine sedent ratione antiquioris nominationis, et in pari nominatione ratiotione antiquiodis ordinationis ad sacerdotium, nisi iunior ordinatus sit a Romano Pontifice, et in pari nominatione et ordinatione presbyterali, ratione aetatis (can. 106, 3º).

Art. 5. — Vacante decanatu, in officium Decani ipso iure succedit qui primam sedem post decanum obtinet.

Art. 6. — 1.º Auditores libere eliguntur a Romano Pontifice, perspecto indice candidatorum, quos conventus Metropolitanorum, collatis consiliis cum suis Suffraganeis, idoneos iudicaverit.

2º Praeses conventus Metropolitanorum indicem et Nuntio Apostolico et Status Moderatori simul mittet, ut hic, si quas habeat politicas generalioris ordinis difficultates adversus quempiam candidatorum, exponere queat. Cum vero Nuntius Apostolicus Gubernii responsionem acceperit aut cum, triginta diebus ab misso indice praeteritis, nulla ei responsio significata sit, indicem Apostolicae Sedi transferendum curabit.

3º Auditoris nominatio a Summo Pontifice facta Hispaniae Moderatori significabitur, qui, eadem nominationis die, decretum feret quo novus Auditor uti Status magistratus agnoscitur eique propria tribuuntur civilia iura.

4º Nominatio eodem tempore promulgabitur ab Apostolica Sede et ab hispanico Gubernio.

Art. 7. — Auditores sunt praelati domestici Sanctitatis Suae, eisque competunt omnia iura et privilegia huius gradus propria.

Art. 8. — Sunt praeterea Nuntio Apostolico adiuvando Auditor-Adsessor atque Abbreviator, qui eidem praesto erunt prout ipsi opus fuerit. Hi duo Officiales, civitate

hispani, libere ab Apostolica Sede deligentur iisdemque iuribus ac officiis fungentur quae hactenus exercuerunt.

Art. 9. — Sunt quoque in Rota Promotor iustitiae pro tuendo bono publico et Defensor vinculi matrimonii et sacrae ordinationis; eisque dari possunt substituti, qui, sub eorum ductu, bonum publicum vel sacrum vinculum tueantur.

Art. 10. — Promotor iustitiae et Defensor vinculi, eorumque substituti, oportet sint sacerdotes, civitate hispanica gaudentes, laurea saltem in iure canonico insigniti, maturae aetatis, bonis moribus, prudentia ac iuris peritia praestantes.

Art. 11. — Promotor iustitiae et vinculi Defensor, nec non eorum substituti, eliguntur a Summo Pontifice, prae oculis habito indice candidatorum quem conventus Metropolitanorum, collatis consiliis cum suis Suffraganeis, per Nuntium Apostolicum exhibuerit.

Art. 12. — Ad conficienda et custodienda acta iudicialia sunt quoque notarii, seu cancellarii, itemque scriptores ad eadem exscribenda; omnes sacerdotio aucti, civitate hispanica gaudentes, et laurea doctorali aut saltem licentia in iure canonico praediti; eisque a Decano committuntur quoque cura archivi et bibliothecae nec non officia arcarii et ratiocinatoris.

Art. 13. — Notarii seu cancellarii et scriptores eliguntur a Nuntio Apostolico, spectato elencho candidatorum a Collegio Rotali exhibito.

Art. 14. — Expedit ut omnes Auditores, officiales et ministri tribunalis consecuti sint diploma advocati rotalis, quo melius cognoscant stilum Sacrae Romanae Rotae et cum illo se conformare studeant.

Art. 15. — Duo laici, hispani, maturae aetatis et probatae vitae, officia cursorum et apparitorum praestant; iidemque in cura atque custodia habent sedem et aulam tribunalis.

Caput II

De officio Auditorum, officialium et ministrorum tribunalis

Art. 16. — Rota posita est sub auctoritate Nuntii Apostolici; quare, nisi aliud caveatur, ad Nuntium Apostolicum spectat eam potestatem in Rotam exercere, quam Episcopi exercent in sua tribunalia.

Art. 17. — Auditores, Promotor iustitiae et vinculi Defensor, itemque ministri Rotae iura et officia habet, quae iudicibus, officialibus et ministris tribunalium ecclesiasticorum competunt, nisi aliter cautum sit.

Art. 18. — Singuli Auditores, post nominationem, antequam iudicis officium suscipiant, coram Nuntio Apostolico, adstante Collegio Rotali, et notario in actis referente, iusiurandum praestant de munere rite et fideliter implendo et de secreto servando.

Idem iusiurandum praestant Promotor iustitiae, Defensor vinculi eorumque substituti, notarii et scriptores, coram Collegio, nec non cursores seu apparitores coram Decano, in scriptis pariter referente notario.

Art. 19. — Decanus, salva auctoritate Nuntii Apostolici, universum tribunal moderatur; ideoque curat ut omnes officiales et ministri tribunalis suum munus diligenter adimpleant.

Art. 20. — Impedito Decano, eius vicem supplet Auditor antiquior qui non sit impeditus.

Art. 21. — Rota iudicat per turnos trium Auditorum, ex quocumque numero consiiterit tribunal quod in praecedenti instantia iudicaverit.

Art. 22. — Cum causa aliqua legitime ad Rotam pervenit, Decanus turnum statuit, iuxta ordinem temporis quo causae delatae sunt tribunali; itemque Ponentem designat eum qui in turno primam sedem occupat.

Art. 23. — In prima Rotali instantia turni eo ordine

procedunt, ut primus constet ex Decano et Auditoribus secundo et tertio, alter ex secundo, tertio et quarto; tertius ex tertio, quarto et quinto; et ita deinceps ea lege ut turnus subsequens constituatur ab altero ex Auditoribus praecedentis turni et duobus subsequentibus Auditoribus, iterum incluso Decano cum duobus postremis Auditoribus, vel cum ultimo ex iisdem Auditoribus et secundo.

Art. 24. Si agatur de appellatione a sententia rotali, turnus *ad quem* est ille qui constat ex Auditoribus immediate antecedentibus eos quibus turnus *a quo* constabat.

Art. 25. — Si quis Auditor infirmitate aut alia iusta causa impediatur quominus partem habeat in turno, Decanus Nuntium Apostolicum rogat ut alium Auditorem non impeditum substituat.

Art. 26. — Si Ponens a Decano designatus iustam causam habeat munus declinandi, idem munus a Decano alii ex Auditoribus de turno committi potest, edito decreto, omnibus, quorum interest, notificando.

Art. 27. — Ad Nuntium Apostolicum spectat decernere an in causis contentiosis, ad bonum publicum tuendum, Promotor iustitiae debeat intervenire, nisi iam intervenerit in praecedenti instantia aut eius interventus ex natura rei appareat necessarius, ut in causis impedimenti ad matrimonium contrahendum, separationis inter coniuges, piae fundationis quoad eius exsistentiam, iuris patronatus pro tuenda Ecclesiae libertate, vel ubi de lege processuali tutanda.

Art. 28. — Si exceptio suspicionis proponatur contra unum vel alterum Auditorem, aut contra Promotorem iustitiae vel vinculi Defensorem, de eadem iudicat ipsa Rota per turnum a Nuntio Apostolico statutum; si contra maiorem Auditorum partem aut integrum Collegium, de exceptione iudicat Sancta Sedes.

Art. 29. — Si unus vel alter Auditor, aut Promotor, iustitiae vel vinculi Defensor, ad normam can. 1613 §§ 1-2, abstinere teneantur, vel declarati sint suspecti, Nun-

tius Apostolicus alios non suspectos substituit. Si vero maior Auditorum pars aut integrum Collegium teneantur abstinere vel suspecta declarata fuerint, causa cognoscenda devolvitur ad Sanctam Sedem.

Art. 30. — Omnes officiales et ministri tribunalis debent absentium collegarum partes mutua vice supplere, atque alter alteri adiumento esse, prout Decanus aequum iudicaverit.

Art. 31. — Kalendarium iudiciarium, quo indicantur dies et horae quibus tribunal vacat causis agendis, et Auditores audientiam concedunt, decreto Nuntii Apostolici statuitur.

Art. 32. — Omnes qui tribunal Rotae constituunt eiusdemque officiales et ministri certis stipendiis sustentantur et, firmo praescripto art. 2, a munere cessant iuxta normas iam antea in Hispania legitime probatas; iidem gravi de causa a competenti ecclesiastica auctoritate removeri possunt.

Art. 33. — Auditores, Promotor iustitiae, vinculi Defensor eorumque substituti, necnon omnes ministri tribunalis Rotae, prohibentur mumera advocati et procuratoris exercere, sive per se sive per interpositam personam, apud quodcumque tribunal; iidemque districte vetantur ne quavis ratione se ingerant in causas ecclesiasticas ad suum munus non pertinentes.

Art. 34. — Auditores qui secretum violaverint aut dolo vel gravi negligentia litigantibus detrimentum attulerint, tenentur de damnis et a Nuntio Apostolico puniri possunt vel deferri ad Sedem Apostolicam iudicandi ad normam can. 1625 §§ 1-2.

Promotor iustitiae, vinculi Defensor eorumque substituti, necnon omnes ministri tribunalis qui officia sua violaverint, pariter tenentur de damnis et possunt puniri a Rotali Collegio ad normam can. 1625 § 3.

Caput III

De competentia

Art. 35. — Ob primatum Romani Pontifici quilibet fidelis in quovis iudicii gradu vel litis stadio potest quamlibet causam ad Sanctam Sedem deferre vel apud eam introducere; recursus autem ad Sedem Apostolicam interpositus non suspendit, excepto casu appellationis, iurisdictionem in iudice qui causam iam cognoscere coeperit (can. 1569 §§ 1-2).

Art. 36. — Causae reservatae Romano Pontifici aut tribunalibus Sedis Apostolicae et causae maiores a competentia Rotae Nuntiaturae Apostolicae excluduntur (can. 1557 §§ 1-3, 1600).

Art. 37. — Contra Ordinariorum decreta non datur appellatio ad Rotam; sed de recursibus exclusive cognoscunt Sacrae Congregationes (can. 1601).

Art. 38. — 1. Rota Nuntiaturae Apostolicae iudicat:

a) in secunda instantia causas quae iudicatate fuerint in prima instantia a quibusvis Hispaniae tribunalibus metropolitanis vel immediate Apostolicae Sedi subiectis, sublatis tribunalibus semel pro semper designatis ad recipiendas appellationes (can. 1594 § 2);

b) in tertia instantia, quatenus necessaria sit, causas quae a tribunalibus metropolitanis dicionis Hispaniae vel ab ipsa Rota iudicatate fuerint in secunda instantia;

c) in ulteriore instantia causas quae iudicatae fuerint ab ipsa Rota, quatenus ulterior propositio requiratur.

2. Hoc tribunal iudicat etiam in prima instantia causas quas Nuntius Apostolicus, ad petitionem alicuius Episcopi in Hispania competentis, ob graves rationes eidem tribunali commiserit.

3. Ob graves pariter et probatas rationes, utraque parte petente et consentiente Metropolita, poterit Nuntius Apostolicus, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, cau-

sas circa matrimonii nullitatem a quibuslibet Hispaniae tribunalibus suffraganeis in primo gradu iudicatas, Rotae Nuntiaturae Apostolicae in secunda instantia iudicandas mandare.

Art. 39. — Semper integrum erit partibus in hoc mutuo convenientibus causas directe ad Sacram Romanam Rotam per legitimam appellationem deferre, quae a quorumvis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint (can. 1599 § 1, 1°).

Art. 40. — Querela nullitatis proponitur ad normam can. 1893 et 1895; restitutio in integrum vero ad normam can. 1906.

Art. 41. — Si ob ulteriorem causae propositionem, vel querelam nullitatis, vel restitutionem in integrum nova instantia requiratur et Rotae Nuntiaturae Apostolicae, quavis ex causa desint iudices necessarii ad turnum efformandum, causa devolvitur ad Sanctam Sedem.

Caput IV

De Procuratoribus et Advocatis

Art. 42. — Munera procuratoris et advocati apud Rotam Nuntiaturae Apostolicae exercere possunt:

1° Advocati consistoriales, Procuratores SS. PP. AA., Advocati S. Romanae Rotae, si sint hispani;

2° Ii omnes qui a Nuntio Apostolico ad eiusmodi munera gerenda admissi sunt.

Art. 43. — 1. Advocati et procuratores Rotae oportet sint catholici atque honestate et religionis fama praestantes. Acatholici non admittuntur nisi per exceptionem et ex necessitate, ad normam can. 1657 § 1.

2. Ut quis habituali advocati vel procuratoris munere fungi ac in proprium eorum album referri possit, hispanica civitate pollere debet. Exceptiones huic normae ab Apostolico Nuntio, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, admitti poterunt in aliqua tantum peculiari causa.

3. Omnes advocati et procuratores lauream doctoralem saltem in iure canonico consecuti sint oportet atque, post tirocinium apud Sacram Romanam Rotam vel apud Rotam Nuntiaturae Apostolicae laudabiliter absolutum, peculiari periculo satisfecerint.

Iidem praeterea obligatione tenentur iusiurandum praestandi de munere rite et fideliter implendo.

Art. 44. — Album procuratorum et advocatorum Rotae a Nuntio Apostolico evulgatur.

Art. 45. — Procurator, nisi ob peculiaria rerum adiuncta Nuntius Apostolicus aliter indulgeat, Matriti residere debet.

Art. 46. — Procuratores et advocati Rotae Nuntiaturae Apostolicae tenentur praestare pauperibus gratuitum patrocinium et observare leges canonicas tum communes tum proprias eiusdem sacri tribunalis.

Art. 47. — Procuratores et advocati qui officio suo defuerint, possunt a Rotali Collegio reprehensionis nota inuri, poena pecuniaria mulctari vel etiam, cum adprobatione Nuntii Apostolici, suspendi ab officio et ab Albo expungi.

Art. 48. — Procuratorum et advocatorum emolumenta non alia admittuntur quam quae fuerint a Nuntio Apostolico probata.

Caput V

De ordine iudiciario

Art. 49. — Apud Rotam Nuntiaturae Apostolicae nullus alius ordo iudiciarius admittitur quam qui iure canonico statuitur, sive in Codice sive in aliis normis ecclesiasticis editis vel edendis, praesertim vero, quod attinet causas matrimoniales, in Instructione Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936, confirmata Pii XI m. pr. *Qua cura,* diei 8 decembris 1938.

Art. 50. — Cum causa apud Rotam proponitur, petitio vel appellatio dirigitur ad Nuntium Apostolicum, qui Rotae causam committit.

Art. 51. — Cum locus est citationi per edictum, Nuntius Apostolicus decernit per quae diaria vel periodica, praeter affixionem ad fores Curiae, decretum citationis edendum sit.

Art. 52. — Si causa ad Rotam delata instructione indigeat, Ponens instructionem peragit, sed potest etiam alii Auditori de turno committere, nisi agatur de causa criminali, quo in casu officium instructoris a Decano alii Auditori turno extraneo demandatur.

Art. 53. — Contra decreta Ponentis vel iudicis instructoris datur recursus ad turnum a quo causa iudicanda est.

Art. 54. — Ad Episcopum domicilii coniugum spectat iudicium ferre de exsistentia condicionum de quibus in art. 38 §§ 2 et 39 *b*) Instructionis Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936.

Art. 55. — Ad Ordinarium coniugis pertinet tutorem vel curatorem admittere vel designare ad normam art. 78 Instructionis Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936.

Art. 56. — Scriptae iudicum conclusiones, de quibus in can. 1871 § 2, et sententiae redigendae sunt lingua latina, nisi iusta causa aliud suadeat.

Art. 57. — Res iudicata efficitur ad normam can. 1902, 1°-3°; et pro causis quae non transeunt in rem iudicatam ulterior causae propositio non admittitur nisi ad normam can. 1903, 1987 et 1989.

Art. 58. — Index taxarum et expensarum iudicialium, nec non emolumentorum pro advocatis et procuratoribus, a Nuntio Apostolico decreto sancitur.

Art. 59. — Rota Nuntiaturae Apostolicae quotannis tenetur referre de sua activitate Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum iuxta litteras eiusdem Sacrae

Congregationis diei 1 iulii 1932 et m. pr. *Qua cura* Pii Pp. XI diei 8 decembris 1938, n. V.

Quae omnia motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, praesentium Litterarum Apostolicarum tenore plenissime adprobamus, eisdemque supremum Apostolicae Nostrae auctoritatis robur adiicimus. Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, eidemque tribunali Rotae Nuntiaturae Apostolicae plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VII mensis Aprilis anno MCMXXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

PIUS PP. XII

20 - S. C. Consistorialis

DECLARATIO

(*AAS.* XXXIX [15 iul. 1947] p. 273)

Cum nuper in Excmum P. D. Antonium Santin, Episcopum Tergestinum et Iustinopolitanum, quidam violentas manus sacrilege iniicere ausi fuerint, Sacra Congregatio Consistorialis eos omnes qui memoratum delictum patraverunt, ad normam can 2543 § 3 Codicis Iuri Canonici in excommunicationem Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam incurrisse declarat.

Datum Romae, die 24 Iunii 1947.

Fr. R. C. Card. ROSSI, *a Secretis*.

L. ✠ S.

B. Renzoni, *Adsessor*.

21 - P. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

(*AAS.* XXXIX [6 septembr. 1947] p. 373)

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

A

I - *De temporis supputatione*

D. I. An, electo uno temporis supputandi modo, hic, vi can. 33 § 1, in actionibus formaliter diversis, mutari possit.

D. II. An tres Missae celebratae nocte Nativitatis Domini sint actiones formaliter diversae.

R. - *Ad I.* Affirmative.

Ad II. Negative.

II - *De appellatione Defensoris vinculi matrimonialis*

D. - An, provocante Defensore vinculi, vi can. 1987, contra secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit, ad tertiam instantiam, Defensor vinculi ulterioris istius instantiae, etsi agatur de tribunali apostolico, interpositam appellationem, pro sua conscientia, deserere possit, ita ut tribunal, in casu, nequeat Defensori vinculi appellationem deserenti eiusdem prosecutionem imponere.

R. - Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana ,die 29 Maii anno 1947.

B

I - *De recursu ad Sanctam Sedem per Legatum Romani Pontificis*

D. - An clausula can. 81 « nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem » obtineat quoties Ordinarii facile recurrere possunt ad Legatum Romani Pontificis in regione, qui cum eadem Sancta Sede communicat.

R. - Negative.

II - *De duello*

D. - An, in iis locis in quibus sententia de duello habendo reservatur tribunali quod dicitur « honoris », provocantes et acceptantes incurrant in poenas de quibus in can. 2351 ipsa provocatione vel acceptatione.

R. - Affirmative, nisi certo constiterit provocantes et acceptantes non habuisse intentionem duellandi.

III - *De favore iuris quo gaudet matrimonium*

D. - An stante positivo et insolubili dubio de validitate primi matrimonii, invalidum, vi can. 1014, declarari debeat secundum matrimonium.

R. - Affirmative, dummodo causa definiatur ad ordinarium tramitem iuris.

Datum Romae, e Civitate Vatacana, die 26 Iunii anno 1947.

M. Card. MASSIMI, *Praeses.*

L. ✠ S.

A. Coussa, Ordinis Basilianorum Aleppen., *a Secretis.*

Annotationes

I

Si inspiciatur c. 33 § 1, evidenter apparet in Codice quoad adimpletionem aliquorum praeceptorum dari libertatem determinandi iuxta unam e normis ibidem descriptis momentum in quo incipit singulis diebus media nox, de qua antea in c. 32 § 1. Sed statim poterat quis quaerere an haec media nox, semel debito modo determinata, deberet manere immutabilis per integrum diem, ita ut omnes actiones pro quibus datur libertas in Codice deberent peragi necessario sub una eademque supputatione temporis intra viginti et quattuor horas subsequentes.

Non defuerunt qui hoc modo interpretarentur can. 33 § 1; secundum eorum sententiam non potest existere singulis diebus nisi una media nox, sic dicta canonica vel liturgica vel moralis, quae sane poterit determinari diverso modo in singulis diebus; sed semel electa debebit retineri per integrum diem quoad observantiam omnium praeceptorum quae in c. 33 § 1 referuntur. Supputatio ergo temporis secundum hanc sententiam sic adhaerebit personae, unam e permissis normis eligenti ut illa per viginti et quattuor horas continuas nequeat iam a supputatione electa recedere [1].

Fatendum est nihil in verbis Codicis inveniri quod nos cogat sequi hanc restrictam interpretationem; immo, obvius sensus verborum suggerere videbatur dari plenam libertatem ad diversas supputationes temporis sequendas etiam intra unum eundemque diem in quattuor casibus a norma communi exceptis, saltem cum de diversis actibus ageretur.

Si quis praeterea inspiciat attente fontes qui ad calcem Codicis pro nostro canone apponuntur, rursus inve-

[1] Cfr. L'Ami du clergé, 40 (1923), 200.

niet ne dispositionibus quidem iuris praecedentis potuisse evinci praedictam restrictionem. Nam in responsis SS. Congregationum et S. Paenitentiariae vel conceditur libertas sequendi supputationem legalem iuxta petitionem factam (S. R. C. - Clodien. - 7 aug. 1875; Placentina, 12 maii 1905; S. C. C. - Trevir. - 22 iulii 1893; S. Paenitentiaria, 18 iun. 1873) vel asseritur fideles in ieiunio naturali servando et in officio recitando sequi posse tempus medium sed non teneri (S. Paenitent. 29 nov. 1882).

Verum est etiam ex alia parte haec responsa nullum praebere argumentum ad asserendum licere intra unum eundemque diem adhaerere nunc uni, nunc alteri supputationi temporis; haec verba inveniuntur profecto in dubio proposito S. R. Congregationi (Clodien. 7 aug. 1875); sed in responso disparent omnino, ita ut quis iure suspicari possit S. R. Congregationem consulto ab hac re dirimenda abstinuisse.

Demum si haberetur ratio doctrinae a theologis vel canonistis communiter traditae, denuo dicendum erat nihil ex ea deduci potuisse quod quaestionem propositam solvere valeret. Auctores enim antiqui generatim non agunt nisi de casu proposito a Lugo (De sac. Euch. disp. 15 n. 52), qui loquitur solummodo de applicatione simul facta duplicis sententiae probabilis circa horam iuxta unam eandemque supputationem, unice suo tempore permissam. « Hoc ergo ipsum dicendum est, ait Lugo, quando probabilitas oritur ex diversis horologiis; nam licet quodlibet possumus sequi ad observanda praecepta, non possumus tamen variare in praeiudicium praecepti; quia sicut praeceptum obligat certo ad opus iniunctum, sic obligat ad non mutandam sententiam, cuius mutandae libera facultas impediret *praecepti observantiam* ».

In casu vero, quem nunc consideramus, agitur de applicanda eodem tempore duplici supputatione temporis, expresse in Codice permissa, ad praecepta formaliter diversa quae servantur integre. Et sane, affirmare licet ex eo

solum quod concurrant duo praecepta quae debent exsecutioni mandari intra unum eundemque diem, minime impediri quominus diversa supputatio temporis adhibeatur ad illa exsequenda, modo *ex se et de iure sint invicem plane independentia.* Hic enim non habetur omissio alicuius actionis debitae, cum integra adimpletio utriusque praecepti plene salvetur. Sola lex ieiunii et abstinentiae requirit eandem supputationem temporis, cum ieiunium et abstinentia *per modum unius* eidem affigantur diei.

Contraria ergo sententia, quae nec in verbis ipsius Codicis nec in praescriptis veteris iuris nec in doctrina communi Doctorum solidum fundamentum habebat, et simul adversa erat libertati, iure ac merito fuerat iam derelicta a plerisque commentatoribus. Ex responso dato a Commissione Codicis clare apparet posse diversam supputationem temporis adhiberi intra unum eundemque diem; solummodo requiritur ut actiones sint formaliter diversae. Iam vero nemo non videt saltem aliqua praecepta in Codice enumerata esse actiones formaliter diversas.

* * *

Iuvabit iam fusius exponere normam a Pontificia Commissione propositam. Unica enim difficultas potest nunc consistere in discernendis actionibus formaliter diversis ab iis quae eiusmodi non sint.

Actiones formaliter diversae dici possunt quae ita sunt invicem independentes ut nullo sub aspectu veluti unum quid moraliter considerari possint. Recitatio horarum canonicarum et observantia legis abstinentiae v. gr. sunt actiones non modo materialiter sed etiam formaliter diversae, quippe quae nullo sub aspectu, ne moraliter quidem, inter se intrinsece coniunguntur.

Ex alia parte actiones materialiter diversae possunt non esse diversae formaliter. Sic nullum dubium existere potest circa diversitatem materialem trium Missarum nocte

Nativitatis Domini celebrandarum, quae tamen nequeunt dici actiones formaliter diversae iuxta responsionem Commissionis Pontificiae, quia communi quodam vinculo intrinseco inter se coniunguntur.

Responsum directe agit de Missis nocte Nativitatis Domini celebratis; dubitare tamen non licet quin eadem norma applicari debeat etiam in casu in quo ipsa nocte sola prima Missa celebretur, aliae vero duae non nisi post diluculum litentur.

Itaque non sufficit ut mere confluant praecepta, sc. urgeant *eodem momento*, ut quis privetur libertate utendi diversis supputationibus quoad singula praecepta, modo salva maneat observantia cuiusque praecepti concurrentis; conexio ex hac circumstantia orta mere materialis est sive extrinseca, cuius exsistentia non impedit quominus eae actiones sint formaliter diversae perinde ac antea.

Nunc vero ulterius quaerendum venit an iuxta responsionem authenticam diversam supputationem servare liceat quoad observantiam ieiunii ecclesiastici et eucharistici, ita ut ieiunio ecclesiastico determinati diei finis licite imponi possit quin eo ipso momento initium determinetur ieiunii eucharistici servandi ante Missam celebrandam vel sacram Communionem recipiendam die proxime subsequenti.

Clare et fuse de hac quaestione particulari plures auctores, quorum magna pars propugnat libertatem electionis etiam cum agatur de uno eodemque actu qui ex se potest dicere relationem ad utrumque praeceptum ecclesiasticum [2]. Non desunt tamen qui adversentur huic opinioni [3].

---

[2] Cfr. Vermeersch, Theol. Moral. I, n. 352; Creusen, Nouvelle Revue théologique, 50 (1923), 464; Michiels, Normae generales i. c., II, p. 141; Van Hove, Commentarium Lovaniense, I, n. 245.

[3] Cfr. L'Ami du Clergé, l. c., Oietti, Commentarium in Codicem, I, p. 157; Maroto, Institutiones i. c., n. 258, 2a B.

Omnibus rite perpensis dicendum videbatur non haberi per applicationem sententiae quae favet libertati ullam vel contradictionem in terminis vel violationem alterutrius praecepti. Haud enim affirmatur et negatur simul idem de eadem re et sub eodem respectu — quod prorsus requiritur ad contradictionem evincendam — nec impeditur accurata observantia integri utriusque praecepti.

Nam cum quis per comestionem licite imponit finem ieiunio vel abstinentiae solummodo asserit hanc legem ecclesiasticam esse iam rite adimpletam intra viginti et quattuor horas computatas secundum unam e normis expresse permissis in Codice; alia vera norma item admissa in Codice permittit ei eligere momentum diversum quoad incohandam observantiam ieiunii naturalis servandi ante Communionem die proxime subsequenti recipiendam; haec igitur lex urgere non incipiet nisi ab hoc alio momento item licite electo. Ubi adest contradictio?

Plane salvatur etiam adimpletio utriusque praecepti, cum ieiunium ecclesiasticum observetur per viginti et quattuor horas continuas determinati cuiusdam diei ab Ecclesia designati, et etiam ieiunium naturale servandum ante sacram Communionem integrum maneat; id autem patet ex eo quod secundum omnes nulla stante obligatione ieiunii ecclesiastici in die praecedenti ille dici debeat dispositus quoad corpus ad recipiendam sacram Communionem. Quidni stante illa obligatione? Impossibilitas proveniret solummodo ex voluntate Ecclesiae, quae decerneret fini diei quoad observantiam ieiunii ecclesiastici iuxta aliquam e normis permissis *necessario succedere* initium sequentis diei quoad adimpletionem ieiunii naturalis. De hac voluntate Ecclesiae minime constat.

Demum attenta lectio canonis animum inducit ad latiorem interpretationem amplectendam, qua habetur maior quaedam facilitas ad observanda praecepta ecclesiastica; sic enim quis facile poterit facere ut non sint continua duo praecepta ecclesiastica, quae urgent in duobus diebus

continuis ex communi aestimatione hominum. Num eiusmodi interpretatio consueto agendi modo Ecclesiae adversatur? Nequaquam; contra, apprime ea congruit benignitati qua Mater Ecclesia solet imponere onera et insuper gravibus abusibus aditum non praebet; tunc enim solum applicabilis est cum ieiunium ecclesiasticum urgeat et velit fidelis sacram Communionem sequenti die recipere. Nec silentio praetereundum videtur hanc interpretationem legis posse interdum perutilem esse sacerdoti, qui post diem ieiunii ecclesiastici debeat tardiore hora sequenti die Missam celebrare.

Sed iam quaeramus directe an idem sit formaliter ieiunium ecclesiasticum ac naturale quod urget ante receptionem sacrae Communionis. Responsum enim est authentice posse diversam supputationem temporis adhiberi in actionibus formaliter diversis. Sola ergo diversitas formalis sufficit ad rectum usum libertatis in can. 33 § 1 concessae. Ea autem videtur adesse in nostro casu. Praeceptum enim ieiunii ecclesiastici statuit ut non nisi unica comestio plena fiat per diem; recte ergo dici potest totam eius essentiam in hac unica refectione diurna consistere; ieiunium vero naturale abstinentiam dicit plenam ab omni cibo et potu a media nocte praecedenti. Conceptus ergo formalis utriusque praecepti diversus omnino dicendus est.

Praeterea finis primi praecepti est virtutis paenitentiae exercitium, quod summopere confert ad bonum spirituale fidelium; finis vero alterius praecepti est in tuto collocare decentiam et reverentiam debitam Christo sub speciebus sacramentalibus praesenti.

Itaque cum adimpletio ieiunii ecclesiastici non sit eadem res ac observantia ieiunii naturalis nec ratione ipsius conceptus formalis nec ratione finis obtinendi, videtur dicendum agi in hoc casu de actionibus formaliter diversis; nullum enim elementum formale assignari potest quod sit commune utrique praecepto et consequenter deest elementum intrinsecum quo haec inter se coniugantur, cum prae-

sentia mere materialis unius eiusdemque actus, qui multiplicem respectum formalem habere potest, non sufficiat ad constituendam unitatem formalem actionum antea sub hoc respectu diversarum; circumstantia enim temporis adhaeret non actibus sed ipsis praeceptis adimplendis. Ideo etiam hic casus videtur debere includi inter actiones ad quas permittit Commissio Pontificia diversam supputationem temporis intra unum eundemque diem iuxta communem aestimationem hominum [4].

* * *

Contra vero, tres Missae diei Nativitatis Domini, etsi actiones sint diversae materialiter, quippe quae separatim peraguntur, immo interposito spatio temporis possunt celebrari, formaliter tamen unum quid constituunt iuxta Responsionem Commissionis Pontificiae.

Ratio autem in eo stat quod hae tres Missae uni eidemque subiacent legi ieiunii naturalis, ad cuius rectam observantiam una sola species supputationis temporis adhiberi potest per viginti et quattuor horas continuas, intra quas illa iam semel applicata mutari nequit licite. Haberetur enim certae legis violatio.

Nam secundum c. 808 sacerdoti celebrare non licet nisi ieiunio naturali a media nocte servato. Initium mediae noctis potest quidem determinari a singulis sacerdotibus iuxta aliquam e normis permissis; sed in nocte Nativitatis Domini sacerdotes eo ipso quod incipiant celebrare Missam eligunt tum ad dicendam Missam tum ad observantiam eucharistici ieiunii tanquam primum momentum novi diei saltem initium Missae; nam secus non possent legitime seipsos considerare ieiunos inde a me-

---

[4] Sunt qui quandam veluti inelegantiam videant in modo agendi illius qui pro uno eodemque actu diversam supputationem temporis adhibeat quoad adimpletionem duplicis praecepti, secundum quod una vel alia faveat libertati; sed haec ratio ad summum suaderet propositam interpretationem non applicare in praxi nulla stante causa.

dia nocte initio primae Missae nec incipere eam, quae integra debet celebrari intra ipsum diem vigesimum quintum decembris. Electo vero primo momento novi diei quoad observantiam ieiunii naturalis inde a media nocte, nequit iam illud mutari quoad eandem rem per viginti et quattuor horas continuas.

Proinde qui in prima Missa Nativitatis Domini sumat, licet inadvertenter, ablutiones, iam non potest celebrare alias duas Missas ob defectum dispositionis corporalis requisitae; latior enim interpretatio praescripti c. 33 § 1 semper huic subiacet condicioni: ne sc. aliqua lex certe violetur.

Commissio Pontificia directe solummodo declarat *sufficere* ad mutandum modum supputationis temporis intra unum eundemque diem diversitatem formalem actionum; sed indirecte clare etiam indicat hanc diversitatem formalem *requiri* ad eiusmodi mutationem licite faciendam. Auctores enim unanimi consensu negant posse unum temporis supputandi modum eligi ad primam Missam Nativitatis Domini et alium ad secundam et tertiam [5]; in responso vero authentico videtur approbari solutio communiter proposita eiusque ratio pariter indicari, sc. ideo nequit quoad has tres Missas modum supputandi temporis mutari quia non adimpletur condicio antea exposita, id est, quia non sunt actiones formaliter diversae; unde iure colligitur diversitatem formalem actionum omnino *requiri* ad diversas temporis supputationes intra unum eundemque diem adhibendas.

II.

Res iudicata habetur in processibus per duplicem sententiam conformem (c. 1902). Haec autem regula generalis exceptionem patitur cum de causis agatur quae

---

[5] VAN HOVE, l. c. n. 300; WEIGERT, Theol. praktische Quartalschrift, 80, 337.

circa statum personarum versantur; huiusmodi enim causae numquam transeunt in rem iudicatam (c. 1903). Nihilominus duplex sententia conformis habet etiam in his causis hunc effectum haud exigui valoris, sc. quod ulterior propositio non debeat admitti nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis.

In causis matrimonialibus post secundam sententiam quae matrimonii nullitatem confirmaverit, Defensoris vinculi in gradu appellationis erit ad tertiam provocare instantiam si id pro sua conscientia convenire iudicaverit (c. 1987). Id autem peculiare habent hae causae, sc. quod Defensor vinculi debeat positivum ferre iudicium circa convenientiam non provocandi ad tertiam instantiam eo quod desint requisita in c. 1903 descripta. Recte autem animadvertitur nova argumenta non debere esse gravissima vel decretoria, id est quae peremptorie exigant contrariam decisionem (art. 217 § 3 Instr. [6]).

Facta vero appellatione ad tertiam instantiam potest accidere ut Defensor vinculi ulterioris huius instantiae post accuratum examen causae iudicet non adimpleri requisita in c. 1903 descripta. Quaeritur an possit Defensor vinculi deserere pro sua conscientia prosecutionem causae vel potius debeat rem tribunali tertiae instantiae subicere. In articulo 217 § 3 Instr. dicitur argumentorum pondus pro causae revisione a tribunali tertiae instantiae esse aestimandum audito vinculi Defensore, dum in art. 221 § 2 asseritur vinculi Defensorem interpositam appellationem pro sua conscientia prosequi vel deserere posse.

Dubium, quod in hac re sponte oriebatur, dissipatur nunc per authenticum responsum quo asseritur Defensoris vinculi ius deserendi pro sua conscientia appellationem interpositam; ipsi autem id decernenti nequit imponi a tribunali tertiae instantiae, ne quidem apostolico, onus prosequendi illam causam.

---

[6] Cfr. AAS. XXVIII, 313.

Re quidem vera haec decisio rationi prorsus conformis videtur. Ille enim, qui causam in his adiunctis prosequi intendit, debet esse persuasus de pondere argumentorum quae ex novo adducere poterit; secus qua vi et diligentia fungetur officio contra dictamen propriae rationis sibi imposito?

Si agnoscitur ius Defensoris vinculi etiam primae instantiae declarandi post diligens attentumque examen rei se nihil habere obiciendum contra actoris assertum vel petitionem [7] — cum defensio innixa artificiis potius quam solidis rationibus confusionem saepe, lucem vero novam nunquam afferre soleat — multo magis tribuendum est idem ius Defensori vinculi tertiae instantiae, cui favet insuper duplex sententia confirmans nullitatem matrimonii.

Ex alia parte haud apparet cur in discrepantia iudicii circa pondus argumentorum praevalere debeat iudicium Defensoris vinculi secundae instantiae; vis huiusmodi iudicii sufficienter eliditur per iudicium contrarium Defensoris vinculi superioris instantiae. Hac autem ratione consulitur etiam bono partium in causa, cum evitetur dispendium inutile et pecuniae et temporis quod secum ferret examen factum ab ipso tribunali tertiae instantiae; validitas matrimonii non debet defendi ultra iustos limites a sana ratione indicatos, cum etiam quoad hanc rem in medio consistat virtus.

PH. AGUIRRE, S. I.

III.

1. Ordinarii ex can. 81 dispensare valent a legibus generalibus Ecclesiae itemque a legibus pro peculiari territorio a R. Pontifice latis (cfr. can. 82), quoties « difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet ».

---

[7] Cfr. W.-VIDAL, V, (ed. 3a) n. 696*.

2. Tres igitur condiciones requiruntur, et quidem copulative, ut huiusmodi facultate dispensandi Ordinarii uti valeant. Scil. 1° recursus ad S. Sedem *difficilis* sit oportet; quae difficultas moraliter aestimanda est, omnibus locorum et personarum circumstantiis rerumque adiunctis maturae perpensis; eaque non solum verificatur cum talis recursus est absolute aut relative impossibilis verum etiam quando notabile incommodum vel magnum gravamen ratione expensarum vel commercii epistolaris aliorumve adiunctorum secumferat. Media ordinaria spectantur, praesertim communicatio per epistolas, ideoque tempus requisitum pro litteris mittendis et recipiendis attenditur. Nulla est obligatio utendi telegrapho, telephonio, via ferrea aut aërea aliisve mediis quae extraordinaria atque insueta censeantur. Hunc spectant Litterae Secretariae Status iussu Leonis XIII die 10 dec. 1891 datae; item saltem indirecte Instructio S. Congregationis de Propaganda Fide diei 9 maii 1901 et responsio Pontif. Commiss. Codicis 12 nov. 1922.

2° Necesse est ut occurrat *periculum* certum vel saltem vere probabile seu prudenter existimatum alicuius *damni gravis*, physici vel moralis aut oeconomici, i. e. cuiuslibet generis.

3° Demum opus est ut agatur de iis legibus super quibus S. Sedes non solum dispensare possit, sed revera *soleat* dispensare, nempe de facto, secundum stylum et praxim Curiae Romanae, dispensatio frequenter aut non raro concedatur. V. g. dispensare haud solet S. Sedes super impedimento matrimoniali proveniente ex sacro presbyteratus ordine vel ex affinitate in linea recta, matrimonio consummato; quare Ordinarius istam dispensationem vi can. 81 nullatenus concedere valet.

Nomine Ordinariorum veniunt omnes de quibus in can. 198 ideoque etiam Superiores maiores religionum clericalium exemptarum.

3. His breviter praemissis, duplex dubium haberi potest circa genuinum sensum et ambitum clausulae praedicti can. 81. Primo equidem quaeri fas est, utrum nomine *S. Sedis* in casu veniat etiam Legatus R. Pontificis, i. e. Nuntius, Internuntius, Delegatus Apostolicus (cfr. can. 265 ss.), quacumque voce nuncupetur; ita ut si forte peculiares facultates ipse habeat in ordine ad dispensationes concedendas et facile recurri possit ad eundem, dum recursus Romam ad S. Sedem seu ad Sacras Congregationes difficilis sit, an Ordinarius uti valeat nihilominus facultate a can. 81 concessa, vel potius teneatur recurrere ad Pontificium Legatum sicque omnino abstinere ab usu praefatae facultatis.

4. Ut patet, responsio affirmativa vel negativa ad istud dubium maxime interest, cum ab ea pendeat necessitas recurrendi necne ad Legatum Pontificium ac propterea usus validus aut invalidus facultatis de qua in can. 81. Porro, licet Legatus repraesentet directe et immediate Sedem Apostolicam seu R. Pontificem eiusque nomine et auctoritate munus suum gerat, ambigendum non videtur quin, posita difficultate recurrendi ad S. Sedem, Ordinarius dispensare valeat ex can. 81, quamvis facile pateat recursus ad Legatum. Sane citatus canon loquitur expresse de *Sancta Sede;* atqui « *verba sunt accipienda ut sonant* » iuxta notissimum iuris adagium. Codex autem disertis verbis edicit in can. 7 quid veniat nomine S. Sedis, ubi nulla fit mentio nec explicita nec implicita de Legatis R. Pontificis; et canones 267 et 268 manifeste distinguunt inter Sedem Apostolicam et Legatum.

Id confirmatur ex stylo Curiae et communi usu loquendi atque Auctorum doctrina. Sufficit referre verba eximii Van Hove, qui ait: « Recursus intelligitur... *ad ipsam Sanctam Sedem* quidem; proinde etiam si Ordinarius posset recurrere ad Legatum pontificium debita forte potestate dispensandi instructum, potest uti hac facultate » (*Commentarium Lovaniense in Codicem iuris canonici. Vol.*

I, t. V. De privilegiis et dispensationibus, Mechliniae-Romae, 1939, n. 409).

5. Alterum dubium, plane distinctum a priori, respicit modum ac formam recursus ad S. Sedem; scil. utrum verificetur difficultas recurrendi ad Sedem Apostolicam ex parte Ordinarii, quando ipse quidem nec personaliter nec per litteras recurrere valet, sed probe id facere potest per Legatum R. Pontificis, cui praesto sunt apta opportunaque media communicationis cum S. Sede variisque Curiae Romanae Dicasteriis. Hoc dubium praecise attingit responsio Pontificiae Commissionis Codicis diei 26 iunii 1947. Interrogata: An clausula can. 81 « *nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem* » obtineat quoties Ordinarii facile recurrere possunt ad Legatum Romani Pontificis in regione, qui cum eadem Sancta Sede communicat: respondit: « *Negative* ».

Ratio istius negativae responsionis evidens est. Nam in dubio proposito ac resoluto Ordinarii dicuntur facile posse ad Legatum R. Pontificis recurrere, Legatus autem dicitur ad S. Sedem recurrere valere seu cum eadem communicare. Proinde, in casu omnino abest difficultas ex parte Ordinariorum recurrendi ad Sedem Apostolicam, cum de facto ipsis pateat recursus ope Legati Pontificii, quo mediante, recursus facilis evadit ideoque deficit condicio seu difficultas a can. 81 perspicue requisita. Re quidem vera, in canone isto mentio ft de *recursu* simpliciter, qui potest esse sive immediatus sive mediatus, sive directe sive indirecte factus, tum per se tum per alios, dummodo medium aptum atque tutum ordinariumque sit. Atqui Legatus Summi Pontificis, vi ipsius muneris, pro sua respectiva regione est veluti peculiare ac proprium *medium* seu *organum communicationis* inter S. Sedem et Ordinarios. Inde minime consequitur eosdem, pro obtinenda aliqua dispensatione, si communicatio cum Sede Apostolica sit impossibilis aut difficilis, teneri recursum facere ad Legatum R. Pontificis speciali facultate praeditum. In hu-

iusmodi hypothesi recursus ad S. Sedem est revera difficilis ideoque applicatur norma tradita in can. 81. De qua re, ut supra animadversum fuit, nihil decernit Pontificia Commissio Codicis. Ita ex iure *condito;* aliud forte in posterum de iure *condendo.*

6. Responsio praedicta non est extensiva aut restrictiva neque verius declarativa quatenus explicet legem obiective dubiam, sed potius dicenda mere comprehensiva quatenus verba legis in se certa declarat ac propterea valet retrorsum ad normam can. 17, § 2. Hinc patet quid sit dicendum de valore dispensationum forte concessarum atque de subsecutis actibus et negotiis. Practice, quoad singulas dispensationes singulosque actus, opportunae distinctiones necessario faciendae atque sedulo dispiciendum an et qua ratione applicari possit praescriptum can. 15 et 209.

IV.

1. Can. 2351, qui fere ad litteram vetus ius refert (cfr. Pii IX Const. *Apostolicae Sedis*, 12 oct. 1869, § II, n. 2) plures personarum classes complectitur poenis obnoxias, scil. 1° perpetrantes duellum; 2° provocantes; 3° acceptantes; 4° operam aut favorem praestantes; 5° de industria spectantes; 6° permittentes; 7° non prohibentes.

Ex his perpetrantes, provocantes et acceptantes duellum subiacent excommunicationi aliisque poenis *principaliter;* ceteri *accessorie* et veluti *secundario* i. e. ratione cooperationis ad duellum.

2. Responsio Pontificiae Commissionis Codicis, de qua nunc loquimur, duo perspicue declarat, nimirum a) *provocantes* vel *acceptantes* incurrere poenas de quibus in can. 2351 *solo facto* provocationis vel acceptationis, independenter ab effectu secuto, ita ut si forte quacumque de causa duellum non contingat, nihilominus illi poenis iam subsint; praeterea b) factum solius provocationis vel

acceptationis eatenus censeri tamquam delictum poenis obnoxium, quatenus provocatio vel acceptatio fiat *serio,* scil. *animo revera duellum patrandi.*

3. Utrumque manifestum ex ipsa notione delicti eiusque elementis constitutivis. Passim Auctores, sive ante sive post Codicem, id aperte docebant. Satis erit unum alterumve allegare. Noldin ait: « *Provocantes, acceptantes,* qui pariter excommunicationem incurrunt, etsi duellum reipsa non sequatur: cum enim censura afficiat *simpliciter* provocantes et acceptantes, ipsa provocatio et acceptatio *serio* facta censura feritur. Nihil refert, ex qua intentione vel ex quo motivo provocantes et acceptantes agant, modo *velint* inire duellum; quodsi provocatio vel acceptatio non fiat cum animo ineundi duellum, sed ficte e. g. ad ignaviae notam hic et nunc vitandam, excommunicatio non incurritur » (*De poenis ecclesiasticis,* n. 73, Oeniponte 1911).

Post Codicem, Chelodi docet: « Huius delicti rei sunt... provocantes, acceptantes. Et utrique quidem, quamvis duellum, ex quacumque causa, locum non habeat » (*Ius poenale,* pag. 107, Tridenti 1933).

Cerato affirmat: « *Provocantes,* idest serio offerentes, etsi duellum non fuerit ex altera parte acceptatum. In casu delictum est perpetratum ex sola facta provocatione. *Acceptantes* serio, etsi postea duellum fuerit impeditum aut non secutum. — Et in casu delictum est perpetratum etiam ex sola facta provocatione » (*Censurae vigentes,* pag. 129, Patavii 1921).

Nos ipsi in opere *De censuris* haec tradimus: « Ut excommunicatio incurratur, sufficit *provocatio* vel *acceptatio,* dummodo hi actus vere *ex animo* fiant, non simulate, quamvis duellum secutum haud fuerit » (*Tractatus canonico-moralis de censuris iuxta Codicem iuris canonici,* n. 344, ed. 3a).

4. Circumstantia in dubio proposito relata, scil. de « iis locis in quibus sententia de duello habendo reserva-

tur tribunali quod dicitur « *honoris* », nullatenus mutat statum rerum; nam provocatio et acceptatio considerantur in se ipsis eaeque solae delictum constituunt, sive tribunal *honoris* decernat duellum esse faciendum sive pronuntiet esse omittendum. Obiter notandum, membra praefati tribunalis, si forte pronuntietur duellum esse necessarium, plecti poenis statutis in can. 2351 ob efficax consilium seu cooperationem in delictum.

5. Defectus intentionis duellandi non praesumitur, posito facto provocationis aut acceptationis. Ex modo loquendi vel agendi atque ex variis indiciis colligi potest, ita tamen quod non sufficiat sola probabilitas sed requiratur *certitudo*. Quare in foro externo habendus est tamquam excommunicatus et infamis qui provocaverit aut acceptaverit duellum, etsi seriam voluntatem duellandi non habuerit, nisi certo constet exterius huiusmodi pravam intentionem revera defuisse.

V.

1. Can. 1014 sollemne statuit principium: « Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 1127 », scil. dummodo ne agatur de privilegio fidei, quod, stante dubio, gaudet iuris favore. Huc spectant verba Benedicti XIV, epist. *Probe*, 15 dec. 1751: « In re dubia in favorem fidei pronuntiandum esse constans regula est ».

2. Traditum principium, quod in dubio standum sit pro valore matrimonii, non est mera praesumptio nec dispositio legislatoris humani, cui proinde derogare nequaquam fas est. Nititur quippe *ipso iure divino*, scil. indissolubilitate matrimonii, ideoque ipsa lex divina, sicut prohibet quominus pronuntietur invalidum coniugium quod revera validum est, ita pariter vetat ne, stante du-

bio, declaretur nullum illud matrimonium quod forte potest esse validum: sicque iniuria manifesta irrogaretur indissolubilitati connubii seu ipsum ius divinum laederetur. Hinc effatum Innocentii III: « Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare » (c. 47. X. II. 20).

Proinde, si alterum matrimonium celebretur sive bona sive mala fide, ac de solutione vel nullitate prioris coniugii legitime et certo non constet ad normam can. 1069, § 2, manente dubio de exsistentia et valore prioris connubii, necessario secundum matrimonium habendum est atque declarandum tamquam irritum, ipsa lege divina praecipiente.

3. Agitur in casu de dubio *positivo* seu probabili, quod solidis nititur rationibus, ideoque minime spernendum est ut mere negativum, ac praeterea de dubio *insolubili*, omnibus circumstantiis accurate diligenterque perpensis. Sedula enim cura maximoque studio satagendum ut, quoad fieri possit, dubium amoveatur atque veritas manifesta et certa appareat. Id tamen, heu nimis, aliquando obtineri nequit. Hoc verificatur praesertim si agitur de matrimonio, cuius valor pendet ex baptismo valide aut invalide recepto in secta acatholica, de validitate matrimoniorum quae inita fuerunt, durante bello, in quibusdam regionibus, etc.

4. In casu standum est pro valore matrimonii non solum in foro *externo*, sed etiam in foro *interno*, sive dubium sit *iuris* sive *facti*. Principium autem applicatur tum matrimoniis baptizatorum tum coniugiis infidelium, salvo privilegio fidei de quo supra et salva peculiari potestate vicaria qua divinitus pollet R. Pontifex. Quoad principii applicationem matrimoniis infidelium et haereticorum, attendendae sunt Instructiones S. Officii, 18 dec. 1872, 24 ian. 1877 (*Collect. de Prop. Fide*, II, n. 1392 et n. 1465).

5. Verba addita in responsione: « dummodo causa definiatur ad ordinarium tramitem iuris », significant causam de valore matrimonii in casu cognoscendam et definiendam esse secundum normas a Codice statutas, praesertim de tribunali collegiali, de interventu Defensoris vinculi, de duplici sententia conformi etc. (can. 1576, § 1, 1°, 1966-1992), et iuxta varias Instructiones a S. Sede sapientissime latas, potissimum a S. Congregatione de Sacramentis.

F. M. CAPPELLO, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

22 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae apostolicae *Uberrimos sane gratiae,* 20 maii 1946, quibus titulo ac privilegiis basilicae minoris honestatur templum in honorem S. Bernardini confessoris in civitate Aquilana Deo dicatum (*AAS* XXXIX [29 sept. 1947] p. 390-391).

B — Constitutio apostolica 9 ian. 1947, qua e vicariatu apostolico de Foumban pars distrahitur et nova erigitur praefectura apostolica « Garuensis » (*AAS* XXXIX [6 sept. 1947] p. 334-335).

C — Constitutio apostolica 9 ian. 1947, qua e vicariatibus apostolicis de Foumban et de Khartum atque e praefectura apostolica Berberatensi territorii partes seiunguntur ad novam erigendam praefecturam apostolicam « Arcis Lamy » (*AAS* XXXIX [6 sept. 1947] p. 335-337).

D — Constitutio apostolica 27 ian. 1947, qua vicariatus apostolicus Magellanensis in novam erigitur et constituitur dioecesim de Punta Arenas appellandam (*AAS* XXXIX [6 sept. 1947] p. 337-339).

E — Litterae apostolicae 11 febr. 1947, quibus B. V. Maria, Gratiarum Mater, vulgo « Madonnina di Castellazzo », in Alexandrina Statiellorum dioecesi venerata, raedariorum birotas ignifero latice incitas moderantium patrona caelestis praecipua pro Italia declaratur (*AAS* XXXIX [2 iun. 1947] p. 221-222).

F — Constitutio apostolica 3 mart. 1947, qua ab archidioecesi Platensi et a dioecesi Mercedensi territorii partes seiunguntur et nova exinde dioecesis S. Nicolai de los Arroyos erigitur, metropolitanae eecclesiae Bonaërensi suffraganea (*AAS* XXXIX [29 sept. 1947] p. 383-385).

G — Constitutio apostolica 13 mart. 1947, qua praefectura apostolica de Tshumbe in Congo Belgico in vicariatum apostolicum extollitur (*AAS* XXXIX [29 sept. 1947] p. 386-387).

H — Epistula *Pergrato quidem animo,* 16 mart. 1947, Ad Exc.mum P. D. GULIELMUM PIANI, archiepiscopum tit. Nicosiensem, in Insulis Philippinis Delegatum apostolicum, quina

ab inito episcopatu lustra et dena a suscepto sacerdotio fauste celebraturum (*AAS* XXXIX [13 maii 1947] p. 179-180).

I — Litterae apostolicae 21 martii 1947, quibus Nuntiatura apostolica in Re publica Libanensi erigitur (*AAS* XXXIX [2 iun. 1947] p. 223).

K — Epistula *Nono ac dimidio*, 21 mart. 1947, Ad Exc.mos PP. DD. Archiepiscopos atque Episcopos Rei publicae Cechoslovachiae, nono ac dimidio saeculo exeunte ab obitu sancti Alberti, Episcopi Pragensis ac martyris (*AAS* XXXIX [2 iun. 1947] p. 223-224).

L — Epistula 25 mart. 1947 Ad Em.mum P. D. IACOBUM CAROLUM tit. S. Mariae de Populo S. R. E. Presb. Cardinalem McGUIGAN, archiep. Torontinum, quem legatum mittit ad conventum Marialem e tota Canadia in urbe Octavia celebrandum (*AAS* XXXIX [15 iul. 1947] p. 254-256).

M — Litterae apostolicae *Quinta iam exeunte*, 31 mart. 1946, quibus templum in honorem B. V. Mariae « ab Elemosyna » Catanae dicatum privilegiis honoribusque basilicae minoris ditatur (*AAS* XXXIX [6 sept. 1947] p. 340-341).

N — Epistula *Tertio Nostri*, 10 apr. 1947, Ad Em.mum P. D. PETRUM tit. Sanctae Crucis in Hierusalem S. R. E. Presb. Cardinalem FUMASONI BIONDI, S. Congregationis de Prop. Fide praefectum, dena lustra sacerdotii feliciter explentem (*AAS* XXXIX [13 maii 1947] p. 180-181).

O — Allocutio 14 apr. 1947, postridie beatificationis Contardi Ferrini habita (*AAS* XXXIX [6 sept. 1947] p. 343-352).

P — Allocutio 23 april. 1947, ad Exc.mum Virum ALFRIDUM CARBONELL-DEBALI, Rei publicae Uruguayensis legatum extra ordinem liberis cum mandatis, S. Pontifici litteras publicas porrigentem (*AAS* XXXIX [13 maii 1947] p. 181-184).

Q — Allocutio 28 apr. 1947, postridie beatificationis Mariae Goretti habita (*AAS* XXXIX [6 sept. 1947] p. 352-358).

R — Allocutio 5 maii 1947, postridie beatificationis Alexiae Le Clerc habita (*AAS* XXXIX [6 sept. 1947] p. 358-364).

S — Constitutio apostolica 8 maii 1947, qua praefectura apostolica de Tingchow in diecesim, Timceuvensem nomine, erigitur et constituitur (*AAS* XXXIX [29 sept. 1947] p. 387-389).

T — Litterae apostolicae *Antiquitatis monumentum*, 13 maii 1947, quibus ecclesia Deo dicata in honorem S. Mariae Montis, extra moenia civitatis Ianuensis posita, ad basilicae minoris dignitatem evehitur (*AAS* XXXIX [6 sept. 1947] p. 341-342).

U — Homilia S. Domini Nostri in sollemni canonizazione beati Nicolai de Flüe confessoris, in basilica Vaticana peracta die 15 maii 1947 (*AAS* XXXIX [2 iunii 1947] p. 210-213).

V — Allocutio 16 maii 1947, postridie canonizationis S. Nicolai de Flüe habita (*AAS* XXXIX [6 sept. 1947] p. 364-372).

X — Epistula 24 maii 1947, Ad Exc.mum P. D. IOSEPHUM CHARBONNEAU, archiepisc Mariopolitanum de conventibus a iuvenibus operariis christianis Canadiensibus indictis (*AAS* XXXIX [15 iul. 1947] p. 256-258).

Y — Nuntius radiophonicus 19 iun. 1947 christifidelibus datus e tota Canadia ob Conventum Marialem in urbe Octavia coadunatis (*AAS* XXXIX [15 iul. 1947] p. 268-272).

Z — Homilia S. Domini Nostri in sollemni canonizatione beatorum Ioannis de Britto martyris, Bernardini Realino et Iosephi Cafasso confessorum, in basilica Vaticana peracta die 22 iunii 1947 (*AAS* XXXIX [15 iul. 1947] p. 250-253).

AA — Allocutio 23 iunii 1947, postridie canonizationis sanctorum IOANNIS DE BRITTO, BERNARDIN) REALINI et IOSEPHI CAFASSO habita (*AAS* XXXIX [29 sept. 1947] p. 391-400).

BB — Allocutio 30 iun. 1947 ad Exc.mum Virum IOANNEM VICTOREM PEROWNE C. M. G., Anglia legatum extraordinem liberis cum mandatis, S. Pontifici litteras publicas porrigentem (*AAS* XXXIX [15 iul.. 1947] p. 266-267).

CC — Allocutio 7 iulii 1947, postridie canonizationis S. MICHAELIS GARICOÏTS et S. IOANNAE ELISABETHAE BICHIER DES AGES habita (*AAS* XXXIX [29 sept. 1947] p. 401-408).

DD — Homilia S. Domini Nostri in sollemni canonizatione beati Ludovici Grignion confessoris, in basilica Vaticana peracta die 20 iulii 1947 (*AAS* XXXIX [6 sept. 1947] p. 330-332).

EE — Motu proprio 30 iulii 1947 de Pontificio Hispanorum collegio patriarchali basilicae Vaticanae addicendo (*AAS* XXXIX [6 sept. 1947] p. 332-333).

FF — Allocutio 21 iulii 1947, postridie canonizationis S. Ludovici M. Grignion a Montfort habita (*AAS* XXXIX [29 sept. 1947] p. 408-413).

GG — Homilia S. Domini Nostri in sollemni canonizatione beatae CATHARINAE LABOURÈ virginis, in basilica Vaticana peracta die 27 iulii 1947 (*AAS* XXXIX [29 sept. 1947] p. 378-380).

HH — Allocutio 28 iulii 1947, postridie canonizationis S. Catharinae Labouré habita (*AAS* XXXIX [29 sept. 1947] p. 414-418).

II — Chirographus *We have just*, 26 augusti 1947, ad Excellent. Virum HENRICUM S. TRUMAN, Foederatarum Civitatum

Americae Septentrionalis Praesidem, ob humanissimas litteras S. Pontifici missas (*AAS* xxxix [29 sept. 1947] p. 380-382).

KK — Litterae apostolicae *Illud per saecula,* 24 novembris 1946, quibus venerabiles Dei famuli Gregorius Grassi, Vic. apost. de Scian-Si Sept., Franciscus Fogolla, eius coadiutor, Antoninus Fantosati, vic. apost. Hunanensis Merid., ex Ord. Fratrum Minor., et 26 socii, martyres, beati declarantur (*AAS* xxxix [2 iunii 1947] p. 213-221).

23 - Sacra Congregatio Consistorialis

Decretum 15 febr. 1947 de mutandis finibus dioecesis Cerviniensis et Comaclensis (*AAS*. [2 iun. 1947] p. 225-226).

Decretum 22 febr. 1947 de coniungenda dioecesi Cerviensi cum archidioecesi Ravennatensi (*AAS* xxxix [2 iun. 1947] p. 226-227).

24 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

Decretum 9 ian. 1947 de mutandis finibus vicariatus de Khartum et Banguensis (*AAS* xxxix [2 iun. 1947] p. 229).

Decretum 9 ian. 1947 de disiungenda parte territorii praefecturae apostolicae de Gorakpur eaque coniungendi cum dioecesi Allahabadensi (*AAS* xxxix [2 iun. 1947] p. 230).

Decretum 9 ian. 1947 de mutandis finibus praefecturae apostolicae Garuensis et praefecturae apostolicae Arcis Lamy (*AAS* xxxix [2 iun. 1947] p. 230-231).

Decretum 13 ian. 1947, quo insulae de Ryukyu administrationi apostolicae ordinarii vicariatus apostolici Guamensis committitur (*AAS* xxxix [15 iul. 1947] p. 273-274).

Decretum 13 febr. 1947, quo pars territorii a vicariatu apostolico Birmaniae meridionalis distrahitur et praefecturae apostolicae de Akyab adiungitur (*AAS* xxxix [15 iul. 1947] p. 274).

Decretum 10 apr. 1947, quo pars territorii dioecesis Mysuriensis ab ea distrahitur et dioecesi de Salem adiungitur (*AAS* xxxix [13 aug. 1947] p. 316).

25 - Sacra Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonizationis

1. *Romana seu Setina.* Decretum 4 aug. 1946, Super dubio: An signanda sit commissio reassumptionis causae in casu et

ad effectum de quo sequitur, canonizationis b. CAROLI A SETIA confessoris, laici professi Ordinis Fratrum Minorum (*AAS* XXXIX [2 iun. 1947] p. 233-234).

2. *Brugen.* Decretum 22 nov. 1946, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis servi Dei CAROLI M. SCHILLING, sacerdotis professi Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum (*AAS* XXXIX [2 iun. 1947] p. 235-237).

3. *Anicien.* Decretum 16 febr. 1947, Super dubio: An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis servi Dei Fratris BENILDI, religiosi professi ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum (AAS. XXXIX [2 iun. 1947] p. 238-240).

4. *Dublin.* Decretum 28 febr. 1947, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis servi Dei MATTHAEI TALBOT, viri laici (*AAS* XXXIX [13 aug. 1947] p. 317-319).

5. *Lucionen.* Decretum 25 apr. 1947 de fundatore Fratrum Instructionis Christianae a S. Gabriele (*AAS* XXXIX [2 iun. 1947] p. 240-241).

26 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. Congregationis Consistorialis praefecti sunt:

28 mart. 1947, titulari episcopali ecclesiae Hemeriensi, R. D. ZDZISLAW GOLINSKI, qui deputatus est coadiutor sine iure successionis Exc. P. D. STEPHANI WYSZYNSKI, episcopi Lublinensis.

10 apr. 1947, cathedrali ecclesiae Rapidopolitanae, Exc. P. D. GULIELMUS MCCARTY.

19 apr. 1947, titulari episcopali ecclesiae Lemnensi, R. D. GABRIEL GARRONE, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis Em. et Rev. P. D. IULII S. R. E. Card. SALIÈGE, archiepiscopi Tolosani.

21 apr. 1947, cathedrali ecclesiae Corisopitensi, R. D. ANDREAS FAUVEL.

24 apr. 1947, cathedrali ecclesiae Malacitanae, R. D. ANGELUS HERRERA ORIA.

24 apr. 1947, cathedrali ecclesiae Tirasonensi, cum administratione apostolica Tudelensi, Exc. P. D. EMMANUEL HURTADO GARCÍA.

24 apr. 1947, cathedrali ecclesiae Illerdensi, R. D. Aurelius Del Pino Gómez.

24 apr. 1947, cathedrali ecclesiae Almeriensi, R. D. Alphonsus Rodenas García.

24 apr. 1947, cathedrali ecclesiae Sancti Christophori de Laguna, R. D. Dominicus Pèrez Cáceres.

26 apr. 1947, Abbatiae *nullius* Einsiedlensi, R. P. Benno Gut.

1 maii 1947, cathedrali ecclesiae Uritanae, R. D. Albericus Semeraro.

9 maii 1947, abbatiae *nullius* S. Mariae Montis Oliveti Maioris, R. P. Romualdus Maria Zilianti.

10 maii 1947, cathedrali ecclesiae Poncensi, R. D. Iacobus McManus, e Congr. SS. Redemptoris.

17 maii 1947, cathedrali ecclesiae Midensi, R. D. Ioannes Kyne.

2 iun. 1947, metropolitanae ecclesiae Quebecensi, Exc. P. D. Mauritius Roy.

2 iun. 1947, cathedrali ecclesiae Plymutensi, R. D. Franciscus Grimshaw.

21 iun. 1947, cathedrali ecclesiae Patersonensi, Exc. P. D. Thomas Boland.

25 iun. 1947, cathedrali ecclesiae Budovicensi, R. D. Iosephus Hlouch.

27 iun. 1947, cathedrali ecclesiae Huanucensi, Exc. P. D. Theodosius Moreno.

19 iulii 1947, cathedrali ecclesiae Monasteriensi, R. D. Michael Keller.

19 iulii 1947, titulari episcopali ecclesiae Coelenae R. P. Candidus Penso, qui constitutus est praelatus praelaturae *nullius* Bananalensis.

26 iul. 1947, titulari episcopali ecclesiae Birthensi, R. D. Ioannes M. A. Hassen, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Gulielmi Lemmens, episcopi Ruremondensis.

26 iul. 1947, cathedrali ecclesiae Trifluvianensi in Canada, Exc. P. D. Georgius L. Pelletier.

2 aug. 1947, cathedrali ecclesiae Aberdonensi R. D. Ioannes Matheson.

2 aug. 1947, titulari episcopali ecclesiae Zaparenae R. D. Ubertus M. Newell, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Patricii A. McGovern, episcopi Cheyennensis.

2 aug. 1947, cathedrali ecclesiae Cuernavacensi R. D. Alphonsus Espino.

20 aug. 1947, cathedrali ecclesiae Marquettensi, Exc. P. D. Thomas L. Noa.

20 aug. 1947, titulari episcopali ecclesiae Sindensi, R. P. D. Iosepus M. Mueller, qui deputatus est coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Edmundi Heelan, episcopi Siopolitani.

25 aug. 1947, cathedrali ecclesiae Pastopolitanae R. D. Aemilius Botero Gonzáles.

5 sept. 1947, cathedrali ecclesiae Cajamarcensi, R. P. Paulus Ramírez Taboada, e Congr. SS. Cordium.

8 sept. 1947, cathedrali ecclesiae Montis Albani, Exc. P. D. Aloisius de Courrèges d'Uston.

23 sept. 1947, metropolitanae ecclesiae Arborensi, R. D. Sebastianus Fraghì.

24 sept. 1947, cathedrali ecclesiae Limburgensi, R. D. Ferdinandus Dirichs.

27 sept. 1947, cathedrali ecclesiae Litomericensi, R. D. Stephanus Trochta, e Soc. S. Francisci Salesii.

29 sept. 1947, cathedrali ecclesiae Apamiensi, R. D. Felix Guiller.

29 sept. 1947, cathedrali ecclesiae Sancti Deodati, R. D. Henricus Brault, superior Miss. dioec. in archid. Parisiensi.

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide praefecti sunt:

13 febr. 1947, cathedrali ecclesiae Daechensi, R. P. Laurentius L. Graner, e Congr. S. Crucis.

13 mart. 1947, titulari episcopali ecclesiae Drivastensi, R. P. Daniel Liston, e Congr. S. Spiritus, qui deputatus est coadiutor cum iure successionis hodierni Antistitis Portus Ludovici.

13 mart. 1947, cathedrali ecclesiae Yokohamaënsi, R. D. Thomas Asagoro Wakida.

10 apr. 1947, cathedrali ecclesiae Allahabadensi, R. D. Leonardus Iosephus Raymond.

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide constituti sunt:

13 febr. 1947, R. D. Iosephus Futy, vicarius apostolicus de Antsirabé.

13 febr. 1947, R. P. Ioannes Batiot, e Cong. S. Spiritus, vicarius apostolicus de Majunga.

13 febr. 1947, R. P. Ioannes B. Fauret, e Congr. S. Spiritus, vicarius apostolicus de Loango.

13 febr. 1947, R. D. Renatus Van Heusden, e Soc. S. Francisci Salesii, vicarius apostolicus Sakaniensis.

13 mart. 1947, R. P. Nicolaus Verhoeven, e Miss. S. Cordis Iesu, vicarius apostolicus de Manado.

13 mart. 1947, R. P. Ioannes Lueck, e Congreg. Sacerd. a S. Corde Iesu, vicarius apostolicus de Aliwal.

10 apr. 1947, R. P. Hilarius M. Vermeiren, e Soc. Miss. S. Cordis Iesu, vicarius apostolicus de Coquilhatville.

10 apr. 1947, R. P. Ludovicus Amidaeus Lefevre, O. F. M., vicarius apostolicus de Rabat.

10 apr. 1947, R. P. Claudius Bayet, e Soc. Par. Miss. ad Ext. Gentes, vicarius apostolicus de Laos.

10 apr. 1947, R. P. Camillus Placidus Crous y Salichs, O. F. M. Capp., vicarius apostolicus de Caquetà.

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide nominati sunt:

31 ian. 1947, R. D. Cosmas Alterio, e Soc. S. Francisci Salesii, praefectus apostolicus de Alto Orinoco.

7 mart. 1947, R. P. Firminus Courtemanche, e Soc. Miss. Afr., praefectus apostolicus de Fort Jameson.

28 mart. 1947, R. P. Aloisius Haene, Soc. Miss. Ext. de Bethlehem in Helvetia, praefectus apostolicus Arcis Victoriae.

25 apr. 1947, R. P. Ioannes Plumey, e Congr. Oblat. Mariae Imm., praefectus apostolicus Garuensis.

25 apr. 1947, R. P. Iosephus du Bouchet, e Soc. Iesu, praefectus apostolicus Arcis Lamy.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

VICTORIUS BARTOCCETTI, *Ius constitutionale missionum*, Torino (Berruti), s. a., 11,5×18,5 cm., 218 pag.

Generalia. Missio, commissio. — Excursus chronologicus de potioribus documentis ex Collectanea SCDPF. — De potioribus formulis documentorum apostolicorum relate ad commissionem. — Commoda praecipua systematis commissionis. — De fine commissionis. — De iuribus et officiis contrahentium. — De duratione commissionis. — De contractibus vel figuris iuridicis commissioni propinquioribus. — De radice peculiaritatum territorii commissi. — De nominatione et gubernatione episcopi. — De diarchia superioris ecclesiastici et superioris religiosi. — Etc.

CONRADUS BERNARDINI, *Leges processuales vigentes apud S. Rotae tribunal*, ed altera aucta et emendata adiuv. advocatis R. Szenwic et F. Ligi, Romae (Officium Libri Catholici), 1947, 17×25 cm., 133 pag.

DENYS GORCE, *Petite introduction á l'étude des Pères*, Bruges (Beyaert), 11,5×18 cm., 117 pag.

L'expression: Pères de l'Eglise. — L'initiation (manuels et dictionnaires; les guides indispensables). — Le contact direct avec les textes. — Les fruits des études patristiques.

GABRIEL M. ROSCHNI O. S. M., *Introductio in s. theologiam*, Romae (Officium Libri Catholici), 1947, 17,5×25 cm., 112 pag.

De natura theologiae: de eius definitione, divisione, proprietatibus, obiecto. — De methodo s. theologiae: de theologia positiva, de theologia speculativa seu scholastica; de relationibus inter theologiam positivam et speculativam. De evolutione homogenea dogmatum. De historiae theologiae lineamentis.

KARL SCHULER, « *Vom Evangelium leben* », Romae (Officium Libri Catholici), 1947, XI - 98 pag.

Das Unterhaltsrecht und die Unterhaltspflicht. — Der Verzicht auf die Ausübung des Unterhaltsrechtes.

Les psaumes et les cantiques du bréviaire romain. Texte de l'Institut biblique Pontifical. Commentaires du R. P. TH. STALLAERT C. ss. R., *Texte français* de Mr. l'abbé VAN DER WAETER, Bruges (Beyaert), 14×22 cm., 498 pag.

II - Ex periodicis

Apollinaris, XV (1942), Num. 1-2. — J. CH. JAROS, *Ad Acta S. C. pro Ecclesia Orientali annotationes*, p. 5-35. — XIX (1946), Num. 1-2. — M. GINETTI, *Annotationes ad litteras S. C. De Seminariis et Studiorum Universitatibus de procurando studio paedagogiae in seminariis*, p. 37-41. — A. LANZA, *De requisita sexus virilis certa determinatione et distinctione ad ordines*, p. 49-66. — G. OESTERLE, *De relatione inter forum externum et internum*, p. 67-87.

Collectanea Mechliniensia, XXXII (1947), fasc. IV (Iul.). — CH. MOELLER, *Thèmes théologiques dans la littérature contemporaine*, p. 377-401. — Fasc. VI (nov.). — L. JANSSENS, *Daden met meerdere gevolgen*, p. 621-633.

Commentarium pro religiosis et missionariis, XXVI (1947), fasc. I-III (ian.-iul.). — A. LARRAONA, *Commentarium Codicis: can. 569*, p. 90-108.

Christus, XII (1947), num. 141 (aug.). — CASIMIRO SÁNCHEZ ALISEDA, *Tres notas del Catolicismo actual: Liturgia, Acción catolica, Misiones*, p. 623-627.

Il Diritto Ecclesiastico, LVII (1946), fasc. II (oct.-dec.). — G. OESTERLE, *De ratione circa administrationem parochiarum domui religiosae pleno iure*, p. 176-191. — M. SINOPOLI, *Rassegna di disposizioni sinodali sulla vita e onestà dei chierici nei secoli* uVI, uVII *e* uVIII, p. 192-217.

Ephemerides Liturgicae, Analecta historico-ascetica, LXI (1947), fasc. I. — E. PETERSON, *Hostien-Partikel und Opfer-Anteil*, p. 3-12. — Fasc. II-III. — F. DI CAPUA, *La concezione agonistica del martirio e l'introito della messa di S. Agata*, p. 229-240. — TH. DE FINANCE O. S. B., *La lecture du canon de la messe « in benedictione abbatis »*, p. 240-241 M. SORESSI, *L'of-*

fertorio della messa dei defunti e l'escatologia orientale, pag. 245-252.

Ephemerides Theologicae Lovanienses, 1947, fasc. 1-2 (ian. iun.). — CH. LEBÈBVRE, *Les tendances du droit canonique en matière d'affinité*, p. 130-149.

Nederlandse Katholieke Stemmen, XLIII (1947), fasc. 6 (iun.). — C. MOONEN C. ss. R., *Kunstmatige bevruchting*, p. 159-166. — Rasc. 8-9 (aug.-sept.). — H. VAN MIERLO M. S. C., *Ieiunium eucharisticum*, p. 222-228. — L. BIJNEN, *Moderne Zielzorg-problemen*, p. 242-249. — Fasc. 10 (oct.). — J. A. DE GOEIJ, *Dispensaties in het ieiunium eucharisticum*, p. 274-276. — Fasc. 11 (nov.). — A. VAN KOL S. J., *Moraalcompendia*, p. 304-308.

Razón y Fe, t. 135 (1947), fasc. 6 (iun.). — M. ZALBA, S. J., *Hacia una nueva forma de perfección: los Institutos seculares*, p. 500-523. — T. 136 (1947), fasc. 1-2 (iul.-dec.). — Idem, Reseña canónica del trienio 1943-1945, p. 73-88.

Revue diocésaine de Namur, t. II (1947), n. 3-4 (maii-iul.). — J. HAVET, *Mystère de la Sainte Trinité et vie chrétienne*, pag. 161-176.

Rivista del Clero Italiano, XXVIII (1947), fasc. V (maii). — Articuli L. VILLA, S. GAIANI, G. ZANONI, T. SCALZOTTO, D. NAVA *de vocationibus ecclesiasticis*, p. 175-194. — Fasc. VII (iuli.). — D. BONDIOLI, *La settimana della Messa*, p. 264-265. — Fasc. VIII (aug.). — F. TONOLO, *Predicazione liturgica*, p. 316-320. — Fasc. X (oct.). — Articuli F. OLGIATI, A. GEMELLI *O. F. M.*, D. BONDIOLI *de breviario*, p. 389-408.

Seminario de Medellín, 1947, num. 1 (ian.-mart.). — J. GIRALDO R., *La música moderna en los Oficios Litúrgicos*, p. 42-53. — Num. 2 (apr.-iun.). — Continuatio eiusdem articuli, p. 121-138. — Num. 3 (iul.-sept.). — J. GIRALDO R., *La Música Sagrada*, p. 219-226. — J. BOTERO R., *El concepto cristiano de la huelga*, p. 245-250. — F. DUQUE D., *El miedo indirecto dirime el matrimonio?* p. 251-255.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

INDEX MONUMENTORUM

INDEX ALPHABETICUS RERUM